SVMMARIVM

Nouorum Autenticorum Teſtimoniorum tam Europæorum, quàm Sinenſium nouiſſimè è China allatorum

CIRCA VERITATEM, ET SVBSISTENTIAM FACTI;

CVI

Innititur Decretum ſa: me: ALEXANDRI VII.

Editum die 23. Martij 1656.

ET PERMISSIVVM RITVVM SINENSIVM;

ITEMQVE

Circa vſum vocum Tien, & Xam tj, ac tabellæ Kim Tien

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPÆ XI.

OBLATVM

A PP. FRANCISCO NOEL, & CASPARO CASTNER S. I.

Procuratoribus Illmorum, & Rmorum Epiſcoporum

Macaenſis, Nankinenſis, Aſcalonenſis, & Electi Andreuillenſis, & pro Miſſionibus Societatis IESV in Imperio Chinæ, & adiacentibus Regnis.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

TEſtimonia Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum Sinenſium de veritate facti pro Decreto Alexandri VII. Num. 1.

Noua teſtimonia omnium Ordinum, qui ſunt in Sinis, de veritate facti pro Decreto Alexandri VII. Teſtimonia RR. PP. Franciſcanorum. Num. 2.

Declaratio RR. PP. Auguſtinianorum in China Miſſionariorum. Num. 3.

Teſtimonia RR.PP. Dominicanorum. Num. 4.

Teſtimonia DD. Clericorum Miſſionis Sinenſis. Num. 5.

Teſtimonia PP. Societatis IESV. Num. 6.

Teſtimonia Sinenſium. Num. 7.

Teſtimonia de legitimo ſenſu vocum Tien, *&* Xam ti, *ac de tabella* King Tien. Num. 8.

Breuis Relatio eorum, quæ ſpectant ad declarationem Sinarum Imperatoris Cam Hi circa Cœli, Confuſij, & Auorum cultum datam Anno 1700. *Accedunt Primatum, Doctiſſimorum Virorum, & antiquiſſimæ traditionis teſtimonia &c.*

Reſponſa Sac. Congregationis vniuerſalis Inquiſitionis à SS. D. N. Alexandro VII. approbata.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

TESTIMONIA

Epiſcoporum, & Vicariorum Apoſtolicorum Sinenſium de veritate facti pro Decreto ALEXANDRI VII. Num. 1.

A
Teſtimonium, ſeu literę Patentes Illuſtriſſimi D. Epiſcopi Macaenſis.

Doctor D. Ioannes de Cazal Epiſcopus Macaenſis, & à Conſilijs Sereniſſimi Luſitaniæ Regis &c.

Reu. in Chriſto P. Franciſco Noel Soc. IESV.

CVM ex literis &c. noſtrum etiam Procuratorem in Spiritualibus, & temporalibus Romæ, & in tota Europa ad tractanda, & expedienda quæcumque ad Nos, vel noſtram Diœceſim Macaenſem quomodocumque ſpectauerint, cum omnibus facultatibus ad id requiſitis Te in ſolidum declaramus, ac conſtituimus, rogamuſque in primis, vt coram Summo Pontifice, ac Sacra Congregatione ſtatum huius Epiſcopatus Macaenſis exponas, noſtro nomine *proteſtans contra eos, qui ſub ſpecioſo titulo Idolatriæ, ac Superſtitionis à Fidelibus penitùs extirpanda* Noſtram, & Neophytorum pacem, fructumque prædicationis Euangelicæ nouis, ac magnis in dies incrementis à Deo multiplicatum, *falſis informationibus, nimio, & non ſecundùm ſcientiam Zelo perturbare, ac impedire conantur*: In quorum &c. has &c. Sigillo noſtro munitas dedimus Macai 5. Ianuarij 1702.

Io: de Cazal Epiſcopus Macaenſis &c.

Locus ✠ Sigilli.

Adeſt ſubſcriptio Secretarij, & Scribæ Cameræ Epiſcopalis &c.

Alexander Ciceri Epiſcopus Nankinenſis.

B

Teſtimonium, ſeù literæ Patentes Illuſtriſſimi Epiſcopi NanKinenſis.

RR. in Chriſto Patribus Franciſco Noel, & Claudio Viſdelou Societatis IESV.

Cùm ex literis &c. noſtros etiam Procuratores in Spiritualibus, & temporalibus Romæ, & in tota Europa ad tractanda, & expedienda quæcumque ad Nos, vel ad noſtram Diœceſim Nankinenſem quomodocumque ſpectauerint cum omnibus &c.ad id requiſitis vos in ſolidum &c. conſtituimus: rogamuſque in primis, vt coram Summo Pontifice, ac Sacra Congregatione ſtatum huius Epiſcopatus Nankinenſis exponatis, noſtro nomine *proteſtantes contra eos, qui ſpecioſo titulo Idolatriæ, ac Superſtitionis à Fidelibus penitùs extirpandæ* Noſtram, & Neophytorum pacem, fructumque prædicationis Euangelicæ nouis, & magnis in dies incrementis à Deo multiplicatum *falſis informationibus, vel nimio, ſed non ſecundùm ſcientiam Zelo perturbare, & impedire conantur.* Quòd ſi contigerit vos aliquo detineri impedimento, quo minùs vterque, aut alterutèr noſtri Procuratoris munus obire poſſit, quemcumque alium Soc. IESV Miſſionarium cum vobis, vel cum alterutro ex vobis hìnc Romam profecturum, cum eiſdem facultatibus, & ad omnia vt ſupra Procuratorem noſtrum ſubſtituimus &c. In quorum &c. has &c. noſtra manu ſubſcriptas, ac Sigillo munitas dedimus Nankini &c. 29. Nouembris 1701.

Alexander Ciceri Epiſcopus Nankinenſis.

Loco ✠ Sigilli.

Adeſt ſubſcriptio Secretarij.

C

Literę Patentes procurationis Illmi Epiſcopi Aſcalonéſis, & Vicarij Apoſtolici in Sinis.

Ego &c. Epiſcopus Aſcalonenſis, Vicarius Apoſtolicus huius Prouinciæ Kiamſi &c. cum legitimo impedimento detentus ſim, & limina &c. per me ipſum viſitare nequeam propter &c. confiſus de ſpectata probitate &c. R. A. Patris Franciſci Noel &c. Romam petentis, ipſum conſtituo in meum Procuratorem &c. vt meo nomine limina &c. & paritèr vt ſiſtere ſe poſſit coram Sanctiſſimo D. Noſtro Papa *ad reddendam ipſi rationem de omnibus pertinentibus ad ſtatum huius dictæ Prouinciæ Eccleſiarum, Miſſionariorum,*

Digitized by Google

rum, *& Fidelium &c.* In quorum fidem &c. apud Nangan Fù prædictæ Prouinciæ Kiamſi Vrbem &c. 26. Decembris 1701.

F. Aluarus Epiſcopus Aſcalonenſis Vicarius Apoſtolicus Prouinciæ Kiamſi.

Locus ✠ Sigilli.

Particula epiſtolæ eiuſdem Illmi Aluari Benauente ex Ordine S. Auguſtini olìm Prouincialis Philippinarum; nùnc verò Epiſcopi Aſcalonenſis &c. quæ extat impreſſa, & ex qua excerptum eſt ſequens Teſtimonium, videlicet.

D Alterum teſtimonium eiuſdem Illmi Aſcalonenſis.

Omnibus ſatis perpenſis iudicaui cum prædictis Illuſtriſſimo Baſilitano, & P. Blaſio, *me debere ſequi praxim Societatis, non modò quia Fidei propagationi apertè fauorabilior*, ſed quia Sententia aſſerens cultum prædictum eſſe. *Ciuilem, & politicum ex ſua inſtitutione, & communi conſenſu* (licèt aliquandò ex ignorantia, & praua intelligentia plebis ad ſuperſtitionem inclinet) viſa fuit mihi, ſicut & *multis alijs probabilior, & tutior, expreſſiorque oppoſità in antiquis Libris, & Auctoribus.*

Ità ſentiebam, & adhuc ſentio &c. Illuſtriſſimus Dominus Pekinenſis &c. mihi non ſemel dixit: *Vereor ne fortè in oppugnandis his Societatis opinionibus multum Carnis, & Sanguinis interſit.*

Tranſumptum alterius epiſtolæ ſupradicti Illuſtriſſimi Domini Aſcalonenſis ad Illuſtriſſimum D. Nankinenſem data.

E Aliud teſtimonium eiuſdem.

Illme, & Rme Domine.

Diebus hiſce redux tranſijt hâc famulus &c.

Illme Dñe. Ego poſtquam quatuor annos in Sinis fui, vtporè primus ex meo Ordine, *procuraui examinare qua via deberem incedere*. Propterea vidi diuerſos tractatus pro vtraque Parte, & cenſui: *eſſe admodum probabilem ſententiam Societatis circà Cultum Confucij, & Progenitorum* (tùnc enim necdùm cæpta erat quæſtio circà *King tien*) & quamuis iam tres ſint menſes, ex quo continentèr ſtudeo Libris Sinicis, & iam legerim totum *je Kiang* ſuper *Su Xu*, examinando textus ſpectantes ad controuerſias vnà-

vnàcum Libro *ta Ciuen*, nihilominùs necdùm intelligo; quod ſit improbabile id, quod defendunt PP. Faber, & Brancatus; quin potiùs videntur accumulari poſſe probationes fortiores, quas adnotaui, & inter illas mihi videor *inueniſſe ſolutionem argumenti Domini de Roſalia* (fortaſsè decipior) quod miſi ad D. V. Illuſtriſſimam, in quo probare contendit, quod Sinæ ſentiant animas in aerem reſolui, & quod non obſtante illa perſuaſione, dent modum phyſicum, & realem, quo iterùm coagulentur, & veniant ad Sacrificia: & ſi tempus haberem, mitterem illam nunc ad V.D. Illuſtriſſimam, ſed ſi Deus nobis vitam dederit, ſubmittam illam eius correctioni, quia vt mihi videtur, expreſsè habetur *in Interpretibus*, quod Animæ, aut *Su Ki* (ideſt defuncti aer) *San leao non redeant ad ſe coagulandum*, & licèt aliqui videantur hoc dicere, hoc ſolùm apparentèr dicunt, ſed in veritate hoc non dicunt &c.

Vide infrà in hoc Num. 1. litr. M. in reſponſo ad 92. Propoſitionem.

Nangan Ianuar. 24. 1701.

B. L. M.

D. V. Illuſtriſſimæ ſuus Frater minor, & Seruus.

Fr. Aluarus Epiſcopus Aſcalonenſis.

Concordat cum originali, quod penès me eſt.

Alexander Ciceri Epiſcopus Nankinenſis.

F

Aliud teſtimonium eiuſdem Illmi Aſcalonènſis.

Epiſtola eiuſdem Illuſtriſſimi Aſcalonenſis ad Reuerendiſſimum P. Tyrſum Gonzalez Generalem Soc. IESV.

Reuerendiſſime Pater.

Initio anni præteriti ſcripſi ad V. P. Reuerendiſſimam &c. Si V. P. Reuerendiſſima recepit meam epiſtolam, poterit notare in illa, quantum ponderem neceſſitatem, vt viuant in his partibus Religiones multùm vnitæ in Charitate, deponendo omnem æmulationem; nam alitèr agendo præbetur communi Hoſti occaſio faceſſendi illis moleſtias, & impediendi opus Dei inter hos Neophytos. Hoc experimur hodiè in China, *vbi denuò reuixere controuerſiæ quaſi iam obliuioni datæ, non ſine periculo grauiſſimo Religionis Chriſtianæ*. Nam etſi priùs illæ ſatis diſputatæ fuerint inter Europæos, tamen inter illos fermè ſolos conſiſtebant

bant diſputationes. Verùm hodiè cum ſeditione, quam experti ſumus in Prouincia de Fokien anno præterito aduersùs Illuſtriſſimum D. Carolum Maygrot eius Prouinciæ Vicarium Apoſtolicum, notitiæ tranſeunt ad omnes Sinenſes Chriſtianitates, atque adeò ad ipſos etiam Gentiles. Non refero V. P. Reuerendiſſimæ id, quod in dicta ſeditione ſucceſſit, nam aliundè proculdubiò ampliorem notitiam habebit. Id tantùm notatu dignius eſt, quod illi mali Chriſtiani (de Fokien) tentârint accuſare dictum Dominum antè maiora Tribunalia Prouinciç de læſa Maieſtate, quod *contempſiſſet titulum datum ab Imperatore, Kim Tien, Cœlum colatur, & quod non permitteret honorare « Patres, & Magiſtros: quæ ſanè accuſatio tàm malè audit in hoc Regno, vt niſi Deus miſericorditer eam impediſſet, multùm certè negotij cum graui noſtræ Sanctæ Legis periculo dediſſet*. Hos, & alios huiuſcemodi effectus producunt hæ diſputationes in China; &, vt ſcribitur, non meliores gignunt Romæ, & in Gallia. Propterea Sanctitati Suæ ſupplicare decreui, vt dignetur illis ſilentium indicere: Nam & reſponſa Sancti Officij anni 1656. data ſunt, auditis duabus partibus, & his ſe poſſunt accomodare omnes, *qui rationabiliter, & non ſcrupuloſè egerint, tantum emungendo, vt Sanguinem exprimant*. Ad hanc porrò petitionem quamuis me moueat principalitèr communis vtilitas, ac deſiderium vitandi grauia damna, quæ in dies Nobis imminent, non ceſſat tamen etiam mouere me fortis præſumptio, quod *Actores Romæ non cum illa bona fide procedant, quam ratio exigit; è contrario non obſcuris argumentis apparet, illos plus æmulationis habere, quàm Zeli de bono harum « Miſſionum*.

Siquidem Nicolaus Charmot Procurator Cauſæ *in Hiſtoria Cultus Sinenſium*, quam Sedi Apoſtolicæ obtulit, audactèr refert, quod *Ego nominatìm cum alijs Auguſtinianis* iam indè à multo tempore prohibuerimus Neophytis Cultum Confucij, & Progenitorum defunctorum, id quod à veritate alieniſſimum eſt, & quod ad me attinet, illud ſine vllo fundamento affirmat, ex quo enim de his controuerſijs aliquid intellexi, *cenſui meliores eſſe praxes, quæ fundantur « in dictis reſponſionibus anni 1656. datis P. M. Martinio tempore Alexandri VII. &c.* Quantum ad reliquos Auguſtinianos, non negauerim iniectos eſſe non nemini ſcrupulos circà dictum Cultum indè ortos, quod audiuerit rationes, ex quibus aliqui rerum iſtarum non admodùm periti, illum condemnant. Verumtamen neque hic, neque alij Auguſtiniani

D. Charmot in Hiſt. Cult. Sin. pag. 518. hæc ait. *Quanquam certum ſit Miſſionarios Cleri Sæcularis itemque Ordinum S. Dominici, S. Franciſci, & S. Auguſtini qui Cultum Confucij, & Progenitorum reſpuunt, non minori fructu ad conuertendos Infideles incumbere*, & pag. 516. denuò ait: *Ex Auguſtiniana verò Religione Illmus Dñus Aluarus Benauente Vicarius Apoſtolicus nupèr electus, cæte-*

Digitized by Google

rique eiuſdem Ordinis Miſſionarij non poſſunt legem illam non libentèr accipere, quandoquidem iamdiu Cultum Confucij, & Progenitorum ſuis Neophytis interdixerunt.

ſtiniani Cultum hunc vnquam prohibuerunt &c. & ità iudicio paritèr meæ obligationis eſſe, certiorem facere ſuam Sanctitatem, & Sacram Congregationem de Propaganda de eo, quod dictus Charmot prorſus decipiatur in eo, quod de me, deque Auguſtinianis ſcribit; et ſi de Franciſcanis idem aſſeueret (neque enim eius Hiſtoriam legere potui) *etiam decipietur, ſaltem ſi de Hiſpanis loquatur*, nam tres, quos in tribus Eccleſijs huius Prouinciæ inueni, Cultum eiuſmodi nunquam prohibuerunt, neque etiam illi, qui ſunt in Prouincia Cantonienſi, quibuſcum vixi, ac demùm înter illos non ſcio eſſe diſſidium, niſi fortè tres illi diſſentiant, qui in Fokienſi Prouincia morantur, Edictoque Illuſtriſſimi Domini Maygrot ſui Vicarij Apoſtolici obediunt.

Quod ſi dictus Charmot bona fide procederet, non hæc ſibi teſtimonia fingeret, quæ potiùs contra ſuam ſententiam citare deberet; præcipuè cùm P. Fr. Michael Rubius, qui multos annos Superior Auguſtinianorum fuit, cum dictum Dominum Charmot anno 1693. Cantone per quam animosè, fidentèrque contrà praxes Societatis loquentem audiret, illi reſtiterit in faciem, atque ità exprobrauerit: *Cur ità loqueris Domine, qui nec litteram, nec Linguam Sinicam adhuc intelligis? & hæc de perſonis pijs, & doctis, quales ſunt PP. Ieſuitæ, & alij, qui eos ſequuntur?* & nihilominùs hunc Patrem cum reliquis omnibus Auguſtinianis allegat pro ſua ſententia Dominus Charmot, ex quo apparet, *que tene mucho de empegno y de lleuar ſuja adelante*. Sed tolerari id poſſet, ſi inter nos ſolos id remaneret; vt in multis quæſtionibus Philoſophicis, ac Theologicis vſu venit, quæ ſiſtunt intrà clamores, quibus à ſuis Auctoribus agitantur. Verùm quæſtiones Sinenſes vlteriùs longè procedunt, & propter illas *Religio Catholica eò adduci poteſt in hoc Regno, vt tandem eijciatur, & condemnetur, vt erronea, & bonis conſuetudinibus pernicioſa, præcipuè modò poſt nouam declarationem*, quam inſtantibus PP. Pekinenſibus anno præterito initio Decembris dedit Imperator, *cum qua concordant maiores Literati in Aula Regia*, quamque ſub meo Sigillo mitto Suæ Sanctitati, eò quod non ſit hic alia forma illam mittendi magis autentica; nam ſi anteà periculo non vacabat illorum via, qui volebant ſequi propoſitiones, & reſponſiones datas Patri Morales anno 1645. quid erit hodiè, quando *teſtimonijs omni exceptione maioribus probatur, à Patre Martinio deceptum non fuiſſe Sanctum Officium, quin potiùs benè informatum, vti debebat anno 1656.* Hiſtoriam *dictæ declarationis*,

Vide infrà Num. 7. ſub litt. RR: vbi ponitur hæc declaratio.

tionis,

rationis, & iudicium decem maiorum Litteratorum in maioribus Dignitatibus huius Regni conſtitutorum, impreſſum Pekini, habui, ſed illam denuò reſtitui, vt paritèr imprimeretur Cantone, & poterunt mitti ad P. V. Reuerendiſſimam hoc anno aliqua exemplaria &c. Quæ omnia volui communicare Veſtræ Paternitati, vt conſtet me ſilentio meo nolle ijs aſſentiri, *quæ de me impreſſit Charmot &c.* ex hac Ciuitate Nangan Fu Prouinciæ Kiam ſi in China 27. Nouembris 1701. Vide infrà Num.7. ſub litt.RR.

B. L. M.

V. Reuerendiſſimæ P. ſuus minor Capellanus, & Seruus.

Fr. Aluarus Epiſcopus de Aſcalon.

Alia epiſtola eiuſdem ad eumdem.

G
Alterum teſtimoniũ eiuſdem Illmi Aſcalonenſis.

Reuerendiſſime Pater.

Menſe præterito ſcripſi Veſtræ Paternitati &c. Cùm materia ſit tàm grauis, non dubito quin V. P. Reuerendiſſima conatum omnem adhibitura ſit pro felici Cauſę huius ſucceſſu. *Rerum ſumma eò redigitur, vt mittatur Suæ Sanctitati noua declaratio, quam Imperator Sinarum fecit circa præcipuos ritus, de quibus ſunt controuerſiæ.* Ea declaratione, vt mihi quidem videtur, integrè, ſolidèque probatur, *informationes per P. Martinum Martinium factas anno 1656. Sacræ Congregationi Sancti Officij, fuiſſe veras, magìſque conformes Doctrinæ Sinicæ, quàm illas, quæ erant factæ priùs anno 1645.*, & hoc ipſo probatur, quòd Pater Matthæus Riccius in ſuis Libris, & alij multi Miſſionarij, qui eum ſequuti ſunt, non fuerint ità decepti, ſicut dicit Nicolaus Charmot. Repræſento paritèr Suæ Sanctitati *difficultates, & grauiſſima pericula, quæ ſecum trahit prohibitio dictorum Rituum, vbi certò probari non poteſt eos eſſe ſuperſtitioſos; quantumuis dictus Charmot aſſerat, euidens hoc eſſe, quod certè durum eſt.* Quis enim credat, tot, tantoſque homines Europæos, & Litteratos, qui hìc erant, & ſunt, oculos habuiſſe ità clauſos, vt tantam euidentiam non viderint, quin è contrario inter obſcuritatem Textuum, & Interpretum Sinarum, grauiſſima fundamenta inuenerint ad contrarium iudicandum? *Hùc accedit modica ſinceritas, qua dictus Charmot, & alij procedunt*; nam in vno ſuorum tractatuum Sedi Apoſtolicæ oblatorum, dicit dictus Charmot me nominatim, & reliquos Miſſionarios Augu-

Auguſtinianos iam indè à multo tempore prohibuiſſe Cultum Confuſij, & Progenitorum defunctorum noſtris Neophytis, id quod eſt alienum ab omni veritate &c. ex quo cæpi intelligere aliquid de iſtis controuerſijs, *ſemper habui & mihi perſuaſum, idque palàm dixi, informationes anni 1656. præferendas eſſe tanquam certiores informationibus factis anno 1645.*; & quamuis nonnulli Religioſi de me conqueſti ſint apud Patrem Prouincialem Philippinarum meum Superiorem; ille reſpondit, ſe non poſſe me reprehendere, nec iudicare de hac materia, quam non intelligeret. Decreui itaque rogare Suam Sanctitatem, vt velit ſilentium imponere in hac quæſtione de facto, aut ſaltem denuò prouidere, vt huiuſmodi diſputationes compeſcantur, *quia per illas magnum in diſcrimen Miſſio adducitur*; anteà quippe inter Miſſionarios priuatim agitabantur; nunc verò foras admodum prodierunt, ac tractantur etiam inter Gentiles &c. ſi Deus per ſuos Cuſtodes Angelos non ſuppreſſiſſet iſtos tumultus (Chriſtianorum in Fokien) tota Miſſio huius Regni in ſummis hodiè periculis verſaretur, *ſicuti ego explicatum vidi in vna epiſtola ipſiuſmet Domini Epiſcopi de Conon, & hic caſus fuit, qui impulit Patres in Aula exiſtentes ad petendam dictam declarationem Rituum, vt alios huiuſmodi caſus præuenirent &c.*

Vide infra in teſtimonio Rmi Andreuillenſis in hoc eodē Num. 1. ſub lit. P. & ſub puncto II.

In Nangan Fù Ciuitate huius Prouinciæ Kiam ſi 23. Decembris 1701.

B. L. M.

V. Paternitatis ſuus minor Seruus.
Fr. Aluarus Epiſcopus Aſcalonenſis.

H
Aliud teſtimonium eiuſdem Illuſtriſſimi D. Aſcalonenſis.

Epiſtola eiuſdem ad Reuerendiſsimum Dominum Epiſcopum Andreuillenſem P. Carolum Turcotti.

Domine mi. Patres, qui exierunt Cantone principio Ianuarij &c. P. Guardianus huius loci illud (Decretum Imperatorium) mittit ad Reu. P. Fr. Iaime, & ibi videbit Veſtra Paternitas *Deciſas omnes Sinenſes Controuerſias, & an communi conſenſu, & doctrina Sinica adoretur Cœlum corporeum, & an animæ inuitentur ad veniendum in Tabellas, & an ab iſtis aliquid petant Sinæ, aut, vtrum petant à Confucio, & qualis ſit finis, & obiectum formale huius Cultus,* & aduertat V. P. ad id, quod dicit *Xing chj* (ideſt tale decretum Imperiale) *tien hia chy tung y* (*ideſt totius Imperij Sinici vniuerſalis hic eſt ſenſus &c.*) Pariter ſpero, quòd V. P. me ſit admonitura, vtrum ſpes ſit, diſceſſuram eſſe

Can-

Digitized by Google

Cantone, vel Macaò nauim Manilam verſùs Aprili ſequenti, vt illàc Romam mittam vnum exemplar (Decreti Imperatorij) Nam quamuis ego ſcripſerim ſumma vi, & efficacitate, petendo, vt ſuſpenderetur controuerſiarum deciſio, quouſque meliùs fuiſſent perſpectæ, & propoſuerim inconuenientia aliqua grauiſſima; Nihilominùs timeo multum; *Nam informatio P. Leoniſſæ, quàm V. P. iam viderit, eſt ly Hay tie* (ideſt nimis aſpera) *& fieri poteſt, vt ex vi illius controuerſia deciſa fuerit*. Veruntamen nunc in hoc Xim Chj (ideſt decreto Imperatorio) videbunt illi Domini, *nihil à me ſcriptum fuiſſe, quòd non fuerit conforme rationi, & veritati*; & ita deſidero multum, vt Manilenſi via ſit occaſio ſcribendi: *Ego, ex quo huc veni, his libris Sinicis ſtudere non deſtiti, multaque adnotaui eo animo, vt integrum tractatum ſuper iſtis controuerſijs ſcriberem*; Sed iam decretum iſtud Imperiale à multo labore nos liberat, *vt enim mihi videtur, ad omnes iſtas controuerſias componendas vnum illud eſt ſatis*.

Nangan fù 12. Februarij 1701.

Locus † Sigilli.

B. L. M. & V. P. ſuus Seruus, & certus Amicus
Fr. Aluarus Epiſcopus Aſcalonenſis.

Alia Epiſtola eiuſdem ad eumdem Reuerendiſſimum P. Turcotti.

REVERENDISS. PATER.

I. Aliud Teſtimoniū eiuſdem Illmi D Aſcalonenſis.

Epiſtolam Veſtræ Paternitatis die 10. Martij datam accepi &c. exemplaria Xim Chj (ideſt Edicti Imperialis) impreſſa accepi, qua de re gratias ago Veſtræ Paternitati, & gaudeo ex animo, quòd potuerint hoc anno Romam mitti; Dubium vnum ex illis, quæ propoſui in epiſtola, quam ſcripſi ad Veſtram Paternitatem menſe Martio, iam ſublatum eſt, & *ſpectat ad publicationem*; nam vt apparet, venit illud (decretum) per *el Pao*(ideſt Regium Tabellarium) *ad Tribunalia maiora, adeòque haberi pro clandeſtino non poteſt*. Sublato autem illo dubio, reliqua, quæ occurrere poſſunt, parui ſunt momenti &c.

Nan gan fù 19. Aprilis 1701.

Locus † Sigilli.

B. L. M. & V. P. ſuus Seruus, & Studioſus
Fr. Aluarus Epiſcopus Aſcalonenſis.

Digitized by Google

Ex litteris Illuſtriſſimi D. Aſcalonenſis &c. datis 5. Octob. 1701. Ad Reu. P. Io. Franciſcum Gerbillon &c.

K
Aliud Teſtimoniũ Illmi D. Aſcalonenſis.

His diebus vidi libellum de relatione noui Decreti Imperialis, & de atteſtatione Magnatum, Litteratorumque præcipuorum, quem modò tranſmittere Romam R. P. Viſitator parat; *non dubito quin ſit magni ponderis apud S. Sedem*. Ego etiam pro mea tenuitate ſuper hoc eidem ſcribam, & confido in Domino, hanc procellam placandam fore, *alioquin Sinenſis Miſſionis Nauicula ſub tot fluctibus ſubmergitur*; Vidi etiam nonnullos ex libellis nuper in Gallia factis circa ſubiectam materiam, & miratus ſum Dei ergà nos prouidentiam, quæ illos bonos Patres ita illuminauit, vt meritò dubitari queat, an illi meliùs quàm nos, ſtatum controuerſiarum intellexerint; Si hoc non eſſet, profectò Dominus Charmot nos omnes in magnas anguſtias redegiſſet. *Hic Dominus non dubitat ad Sedem Apoſtolicam referre, me nominatim, & cæteros Fratres Auguſtinianos iam dudum in Sina Cultum Confucij, & Auorum Neophytis probibuiſſe. Ingentem hanc impoſturam non credidiſſem, niſi ex eius libro conſtaret; pænitebit tamen, quia ego, & Auguſtiniani oppoſitum eſſe verum Sanctæ Sedi demonſtrabimus &c. minimè dubito decretum hoc vim Regij reſcripti habere, & ſufficienter iam eſſe publicatum, & per illud non modicam auctoritatem accreuiſſe relationibus P. Martini Martinij.*

Ego infraſcriptus teſtor hoc de verbo ad verbum eſſe exſcriptum ex litteris Illuſtriſs. D. Aluari Beneuente Epiſcopi Aſcalonenſis &c. ad me datis 5. Octobris, & 1. Auguſti 1701. quarum Autographum habeo in manibus.

Io. Franciſcus Gerbillon Superior Patrum Gallorum Societatis Ieſu.

Idem teſtor Dominicus Parrenin S. I. Sacerdos.

Idem teſtor Ludouicus Pernon S. I. Sacerdos.

L
AliudTeſtimonium eiuſdem Illmi Aſcalonenſis circà P. Fr. Io: Baptiſtam de Morales, & publicationem decreti Innocentij X. ab . . factam in Sinis . . liciter defe . . n.

Alia Epiſtola eiuſdem Illuſtriſsimi Domini Aſcalonenſis ad ſupradictum Reuerendiſſimum P. Turcotti.

Epiſtolam Veſtræ Reuerendiſſimæ Paternitatis accepi heri &c. Nunc ſatisfacio interrogationibus Veſtræ Paternitatis Reuerendiſſimæ. Multum miror, quòd P. Croquer neget, *quòd P. Fr. Io. Baptiſta de Morales fecerit ſcribi opuſculum,*

in

Digitized by Google

in quo publicauit, vel publicare prætendit decreta S. Sedis data anno 1645. ſuper dubijs, quæ ipſemet propoſuit circà Ritus Sinicos; idque eò miror, quòd hactenus per 20. annos non fuerit materia dubitandi. Id quòd mihi contigit circa hoc opuſculum publicatorium, eſt hoc, quòd anno 1683. vel potiùs anno 1684. (non enim certò recordor vter ex his annis fuerit) P. Franciſcus Xauerius Philippuccius mihi monſtrauerit Apologiam, quam ſcripſerat contra iſtam publicationem dicti P. Morales, quæ eſt hæc eadem, quæ nunc venit impreſſa Lugduni in Gallia anno 1700. ſub titulo *Præludij*, niſi quòd illa, quam tunc vidi, habebat omnes characteres Sinicos, qui in hoc libello deſunt: & dictus Pater non ſolùm mihi monſtrauit dictam Apologiã, ſed etiam mihi tradidit Originale, vt cum otio illud viderem, & ita illud mecum tuli in *Xao King*, & ibi legi, ac relegi, *At cum verſio dictorum decretorum, quam in ſuo opuſculo facit P. Morales, ſit tàm defectuoſa, & parùm accurata*, dubitare cæpi, an fortè P. Philippuccius fuiſſet deceptus, eique data fuiſſet verſio diuerſa ab illa, quam Pater Morales in lucem edidit. Et cùm haberem hoc dubium, venit mihi in memoriam, quòd Pater Frater Bonauentura Ybañez (qui in Sinas venit circa annum 1650. & vixit tunc cùm P. Morales) mihi retulit, quomodo dictus Pater mox, vt venit Romà, publicauerit decreta à ſe obtenta, & quòd ipſe adhuc apud ſe haberet tractatum, ſeu exemplar dictæ publicationis deſcriptum in vno Dictionario Hyſpano-Sinico manu amanuenſis, qui illum compoſuit, vel direxit. Hęc cogitans, quando rediui Cantonem, petij à Patre Fratre Bonauentura Dictionarium, vbi inueni Tractatulum cum nomine *Ly Io Fan*, aliàs Io. Baptiſta de Morales, & cum illo, quem mihi monſtrauit P. Philippuccius, contuli ſingulariter, & ſpecialiore cum cura in locis, vbi exponuntur, & proponuntur dicta Decreta anni 1645. ſub Innocentio X. *& inueni, quòd inter vnum exemplar, & alterum non eſſet differentia vlla, & quòd illud, quod Pater Philippuccius habuerat, non fuerit falſum, ſed verum*. At hic creuit magis mea admiratio, quam communicaui Sancto ſeni Fratri Bonauenturæ, qui mihi ſincerè reſpondit, vt non mirarer de eo, *quod tantoperè erratum fuiſſet, cum Pater Fr. Io. Baptiſta Morales non ſciuerit, nec cognouerit litteram Sinicam antequam iret Romam, nec poſtmodum*, & quòd circa annum 1664. vel 1665. redeundo ex Xan tung viderit dictum Patrem, *qui litteris Sinicis ſtudere incipiebat*, dicendo, *que ſe bauia deſengañado* (ideſt) quòd agno-

Tractatus Sinici cum nomine *Lj Io Fan*, aliàs P. Io. Baptiſtæ Moralis bina exemplaria, quæ ex Prouincia FroKien *Miſſa* erant P. Philippuccio cum mutilata expoſitione in Sinis facta, decreti Innocentij X. huc Rumam allata ſunt.

Digitized by Google

ſceret ſuum errorem, & aduerteret, quòd non poſſet facere officium Miſſionarij ille, qui non intelligeret aliquid de litteris, & ſi non foret admodùm Litteratus. His addidit P. Fr. Bonauentura, *quòd P. Morales ad dictum Tractatulum non habuerit Litteratum graduatum, qui illi aſſiſteret,* ſed solùm vnum bonum Chriſtianum, qui non nihil de litteris noſſet, eratque deuotus, & viuebat, vt Cathechiſta in Eccleſia, & quòd iſte fecerit tractatulum, ſuoque modo poſuerit. Propterea ſolebat dictus P. Fr. Bonauentura omnibus, qui recèns aduenerant, dicere, *vt ſtuderent litteris, afferendo exemplum Patris Morales, qui vltimos annos ſuæ vitæ illarum ſtudio impendit; cuius rei pariter Teſtis eſt R.P.Fr. Michael Rubius, qui eſt hic, & id pariter, vt ego, ſæpiùs audiuit &c.*

Tien ma Hang 30. Septembris 1701.

B.L.M. Veſtræ Paternitatis Rmæ ſuus minor Seruus

Fr. Aluarus Epiſcopus Aſcalonenſis.

Reſponſiones eiuſdem Illuſtriſſimi Domini Aſcalonenſis ad 92. Propoſitiones Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini de Lionne Epiſcopi Roſalienſis.

M

Aliud Teſtimoniū eiuſdem Illmi D. Aſcalonenſis.

Quid pro nunc ſentiam circà Propoſitiones &c.

12. Propoſitio Illmi Roſalienſis: Certum eſt, & euidens, *Chu ven Cung* Atheum eſſe.

Circà duodecimam, quòd poſitio continet, mihi nec euidens, nec certum eſt, imò probabiliter exiſtimo *Chu ven cum, & plurimos ex veteribus, & recentioribus Literatis verè, & propriè non eſſe Atheos,* ſed potiùs eſſe, vt ex eorum ſcriptis colligitur, de genere illorum Philoſophorum, de quibus Apoſtolus ad Romanos: *Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim ipſis manifeſtauit &c. qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis &c.* Ita ſentiunt etiam non ignobiles Literati Chriſtiani. Verumtamen de præfatis Sinenſibus Doctoribus non facilè affirmarem ea omnia vitia, quę de Philoſophis Græcis, & Latinis S. Paulus in ſequentibus notat, cùm in Sinenſibus præcipuè circa mores non videatur cor ita obſcuratum fuiſſe, & de illis non immeritò poſſit dici: *adhuc modicum lumen in vobis eſt.*

29. Eui-

29. Euidens eſt Atheiſmi Sinici præcipuum caput eſse, vt Cœlum, illudq; materiale ſummo honore colatur.

Circà 29. Hęc etiam poſitio mihi euidens nō eſt, ſed ſatis obſcura, ac etiam quòd indefinitè ſupponitur, Cœlum nempè materiale, eſſe cultus Sinici obiectum, *cum tot Europæi, & Sinenſes docti pro negatiua ſententia pugnent non indoctis tractatibus*.

31. Certum videtur Sinas omnes Atheos eſſe, aut Idolatras præter Chriſtianos, & Mahumetanos.

Circà 31. *Multis id, quòd in poſitione aſſeritur, certum non videtur, mihi etiam oppoſitum probabilius*.

34. Euidens eſt tria præcipua Dictionaria Sinica, ſcilicet *cu Luj*, *Chim çu tum*, *& pin çu cien* in explicatione litterę *çhu*, vbi de tabella Defunctorum his verbis . . . . clarè affirmare, defunctorum tabellas in Defunctorum Aulis, ſeu Templis erigi, vt defuncti ſpiritus ibi conſideat.

Circà 34. Non videtur euidens, quòd ſenſus, de quo in poſitione, contineatur clarè in Dictionarijs Sinicis; ſi enim clarè contineretur, non eſſet tot ſententiarum diuerſitas: *Ego ſaltem cum alijs verba Dictionariorum in diuerſo ſenſu accipio, à quo Sinenſes non abhorrent*. Nos etiam, cùm loquimur de memoria artificiali, expreſſis verbis dicimus, nos ipſas collocare, & ponere res, quarum meminiſſe oportet, in tali, & tali loco, cùm non realiter, & phyſicè, ſed dumtaxat per imaginationem ibi eas collocemus & ponamus.

35. Illuſtriſſimus Epiſcopus Baſilitanus in ſuo opuſculo, literas Sinicas, quæ in tabellis Defunctorum ſcribuntur, ſic interpretatur, ſedes ſpiritus talis hominis.

Ad 35. Hîc non habeo opuſculum citatum, ſed mentem Illuſtriſſimi Baſilitani benè noui, atq; ex eius ore didici, imò in opuſculo clarè manifeſtatur, *& poſitionis ſenſus vocibus non hærendo, eſt valdè alienus à mente præfati Domini*.

40. Certum eſt, quòd *Cheu Cum* inter primi Ordinis Sanctos à Sinis numeretur.

Ad 40. ℞. Si per illa verba (inter primi Ordinis Sanctos) intelligatur *Xim gin*, certum mihi videtur, quòd de *Cheu Cum* poſitio aſſerit; *Xim* enim propriè

non eſt Sanctus, nec *vox ſanctus* propriè *Xim*.

48. Ex illo *Cheu Cum* Viri inter Sinas omni exceptione maioris, imò ab illis ob ipſammet pietatem ergà parentes celebratiſſimi exemplo conſtat, vbi aliqua neceſſitas poſtulat, non deforme Religioni Sinicæ, ſed contrà conforme eſſe, ad Auos defunctos recurrere, vt nepotes adiuuent.

Ad 48. ℞. Nunc memini olim me audiuiſſe *Illuſtriſs. D. Baſilitanum probantem, Sinenſes nihil à ſuis Progenitoribus petere, aut ſperare ex eo, quod neceſſitate etiam perurgente nunquàm ad eos, vel ad eorum parentales domos confugiant ad aliquid petendum, cùm frequenter pro quacumq; neceſſitate, etiam ipſi Litterati recurrant ad Idolorum templa*; id enim mihi perſuaſum eſt, non modò propter præfati Domini auctoritatem, *quæ in rebus facti non poteſt magna non eſſe*; Sed quia mihi proponenti Cathecumenis, quòd *nihil à ſuis defunctis petere, aut ſperare debeant, nullus fuit, qui in minimo repugnaret, idemque prorſus accidit multis Miſſionarijs, quos de hoc interrogaui*; ideo mihi probabiliter videtur in hoc caſu *Cheu cum* minimè imitari Sinenſes, & quod ex eius facto dogma vniuerſale non reſultauerit.

Circà 52. Quòd littera *Xin* Sinenſes aliquando vtantur ad ſignificandum hominem vita functum, videtur mihi ſatis certum, & ſimiliter littera *lim &c.*

64. In eodem Sacrificio *cu*, oratio fit, qua ſpiritus, ſeu anima defuncti rogatur, vt quandoquidem corpus humi mandarum eſt, domum ipſa redeat: *Tabella*, inquit Orator, *erecta eſt, quare cum multa reuerenter*-

Circa 64. Solutio, quam ad ſimiles textus *Kialj* Patres Le Faure, & Brancatus dant, nullo pacto mihi diſſonat. Non licet ergo Sinenſibus, quorum Rethorica non eſt Europæà inferior, vti Rethoricis locutionibus? Sicut de facto vtuntur Apo-

rentia nobilem animam inuitamus, vt relicta antiqua habitatione (eo ſcilicet ſerico, quòd in capſula reconditum non ampliùs exhibetur) *in nouam veniat, & in ea reſideat, & quieſcat &c.*

92. Propoſitio D. Roſalienſis eſt, quòd Sinę credant, & ſi animæ poſt mortem in aerem reſoluantur, eſſe tamen modum phyſicum, & realem, quo iterum coaleſcant, & veniant ad oblationes. *Vide ſupra litt. E.*

Apoſtrophe, Proſopopeja, & cæteris, præcipuè cum apud illos ſit doctrina cõmunis *Su ſu ju ſu ſem &c. Seruiatur mortuis, ſicut viuis. Deinde ipſæmet res aliud inter Sinenſes, aliud inter Europæos ſignificant*; nam ſicut diſtinguuntur à nobis facie, ita & ingenio, à cuius placito ſua ſigna pendent

Circà 92. Videtur ſtatim probare id, quod poſitiones intendunt, ſed ſi verſio tantiſper declinet, vt de facto declinare contraria Pars tenet, oppoſitum probabit. Quænam ergò verſio characteri Sinico ſit conformior, & quis ſit genuinus ſeuſus, alius iudicet; ego enim cùm olim nonnullos Sinenſes conſuluiſſem, nullo pacto mihi concedebant ſenſum, qui in poſitionibus pro euidenti, & certo ſupponitur. Sed eſt, quòd Interpretes aſſerant, *dari modum imaginarium per meditationem & cogitationem vehementem, itaut tali dumtaxat modo filij ſuos faciant parentes præſentes, & hic modus loquendi eſt etiam Europæis communis*. Placito huic, quòd à non contemnendis Sinenſibus audiui, concordant nonnulli Litterati Chriſtiani, qui de noſtris controuerſijs ſcripſerunt ſuos tractatus, quibus circà intelligentiam librorum Sinicorum (quid quid alij dicant) debitam auctoritatem denegare nequeo &c. In Vrbę Nan gan fù 28. Octobris 1700.

Has reſponſiones manu propria ipſiusmet Illuſtriſſimi Aſcalonen-

nenſis ſcriptas ipſemet Illuſtriſſimus Dominus hìc Cantone mihi tradidit, & ex illo originali ego fideliter iſta deſcripſi. Ita teſtor Cantone 20. Octobris 1701.

Gaſpar Caſtner S.I. Sacerdos & Miſſionarius in Sinis.

N

Teſtimonium Illuſtris. D. Caroli Turcotti electi Epiſcopi Andreuillenſis, & Vicarij Apoſtolici in Quei Cheu.

Carolus Turcotti S. I. Viſitator Iapponiæ, & Sinarum Cariſſimis in Chriſto Fratribus Franciſco Noel, & Caſparo Caſtner eiuſdem Societatis Sacerdotibus ſalutem in Domino Sempiternam.

Cum probitati Veſtræ &c. Conſtituimus Vos Procuratores pro V. Prouincia, & Miſſionibus Societatis, quæ in hoc Imperio Sinarum ſunt, atque etiam in Regnis Tunkini, Conchinchinæ, Cambojæ, & Siami; vobiſque auctoritatem concedimus ampliſſimam &c. vt poſſitis negotia tractare, promouere, defendere, iniurias propulſare, & omnia ea exercere, quæ pro iuſtitia noſtra videbuntur expedire &c.

Datum Cantone 5. Ianuarij 1702.

Locus † Sigilli.

Carolus Turcottus.

Aliud eiuſdem.

Non referimus hìc epiſtolam vnam eiuſdem Illuſtriſſimi Domini ſcriptam ad Sanctiſſimum, cum ipſa originaliter tradita ſit eidem Sanctiſs. D. Noſtro.

Aliud eiuſdem.

Item alteram ſimilitèr originalitèr traditam ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide.

O

Aliud Teſtimonium eiuſdē Reuerendiſs. Caroli Turrotti.

Epiſtola Reuerendiſſimi Caroli Turcotti ad R. D. Ioannem Baſſet Clericum Gallicum.

M. R. Dñe.

Reſponſionem Veſtræ D. accepi &c.

Cum ergo Veſtra Dominatio voluerit tot rationes accumulare ad confirmandam ſuam opinionem, & ad oſtendendum noſtram eſſe malam &c. certè ſi veræ eſſent ipſius rationes, neceſſarium eſſet *comburere ferè omnes præcipuos,*

ac

ac pluris æſtimatos Libros Sanctę Legis , quales non ſolùm cuncti Miſſionarij antiqui trium Ordinum approbârunt , & laudârunt , & imprimi mandârunt &c. Verùm etiam omnes Chriſtiani docti , & indocti , & pariter Gentiles magis litterati &c. ſolùm mihi ſufficit ſuggerere ipſi tanquam amico id, quod Illuſtriſſimus Dominus de Argolis (prout ipſemet mihi dixit) cum huc recèns adueniſſet , reſpondit cuidam perſonæ multùm contrariæ noſtris opinionibus , nimirum , quòd *haberet pro grauiſſimo iudicio temerario, iudicare, & credere , tot Patres tam antiquos , & tam doctos, tamque timoratos ſine grauiſſimis fundamentis , & ſine conſcientia , & experientia plurium annorum voluiſſe docere , & ſequi opiniones minùs ſecuras pro ſaluatione animarum, & multò minùs, periculoſas de Gentiliſmo , & Idololatria* . Hoc exemplum, vt mihi videtur, imitari deberent reliqui omnes moderni, nec exiſtimare quod intra octo, aut decem annos commorationis Sinenſis ſciant illi ampliùs, quàm intra centum annos propè vniuerſi Miſſionarij antiquiores . Vel ſaltem ſi non poſſint ſatisfacere ſuis iudicijs &c. deberent imitari exemplum Domini Ludouici de Cicè, & variorum aliorum Religioſorum, *Quippè hic Dominus paulò antè ſuum diſceſſum mihi dixit , quòd vna ex præcipuis rationibus , ob quas diſcederet , eſſet contrarietas Sententiarum aliquorum ex ſuis RR. Socijs in hac materia , & quòd ſemel , & iterum rogaſſet R. Dominum Maygrot, quòd melius eſſet, no empegnar ſe tanto en eſta empreſa, ſicut fecit R. P. Fr. Nauarrete* ; nam videtur eundem , ex quo Archiepiſcopus fuit , multum huius rei pœnituiſſe , & pro hac re admodùm exiguam laudem tulit ab hominibus Sapientioribus ſui ipſius Ordinis &c. Ex hac Eccleſia Societatis hodiè 6. feria 31. Ianuarij 1698.

D.de Argolij eſt nunc Epiſcopus Pekinenſis.

Veſtræ D.

Minimus Seruus ,
Carolus Turcotti ,

Reuerendiſſimi Caroli Turcotti Puncta quædam magis principalia R. P. Gaſpari Caſtner &c. commendata, vt ſuo ſpecialiter nomine ea Sanctæ Sedi , & Eminentiſs. PP. proponat .

P
Aliud Teſtimonium eiuſdem ,

Mi R. P. Procurator Gaſpar Caſtner .
Præter eas notitias &c.

1. Recepi hoc anno libellum à noſtris Patribus impreſſum in

in Eeuropa anno 1600. cuius titulus eſt: *Expoſitio facti de Sinenſibus controuerſijs à Patribus S. I. oblata Sac. Congregationi S. Officij*, & legi eum,& perlegi attentè, & quęcumque ibi circa veritatem facti ex noſtrorum PP. tractatibus expoſita vidi, omnino ſunt talia, prout referuntur, *& ità ego à viginti annorum experientia teſtari poſſum, qui inſuper pleroſque ferè Sinarum Miſſionarios de facie noui, & ſcio quid ipſi,& alij vniuerſim ex varijs* Religionibus, *& Inſtitutis, ac hos inter etiam PP. Dominicani & aliqui DD. Clerici de his controuerſijs ſenſerint, egerint, & dixerint.*

2. Hunc ipſum libellum tradidi Illuſtriſſimo de Beneuente, qui *eum vniuerſim ſummè approbauit*, & dixit ſine ſpeciali Dei Prouidentia fieri non potuiſſe, vt tàm accuratè noſtri Societatis Patres in Europa de rebus Sinicis ſcriberent, prout etiam ipſamet R. V. teſtari poterit. quæ mihi cum præſens erat, & ipſa etiam cum d. Illuſtriſs. D. egit, & hæc audiuit.

3. Eumdem libellum etiam PP. Auguſtiniani ſummè approbârunt, & R.P.Hortiz Vice-Prouincialis ſummè vnam eius copiam expetijt, dicens, ſi non haberetur aliud eiuſdem exemplar impreſſum, ſe ipſum illum manu propria de verbo ad verbum deſcripturum, paucis enim ibi clarè, ac fideliter veram facti hiſtoriam contineri, vt etiam ipſamet R. V. teſtari poteſt, quæ circa hoc ipſum punctum identidem egit cum dicto Reuerendo Patre Vice-Prouinciali.

4. E contra in illis. quæ circa factum continentur *in ijs, quę Dominus Charmot obtulit Sacræ Congregationi, plurima ſanè omnino falſa exponuntur, & paſſim Miſſionarij hìc, etiam qui non ſunt è ſocietate, ſummè mirati ſunt, qua fiducia talia Sac. Congrrgationi proponi potuerint &c.*

5. Affert R. V. ſecum Edictum Regium lingua Sinica hìc Cantone à me reimprimi iuſſum iuxta exemplar Pekinenſe, *& quod ad me ille Mandarinus miſit, qui hìc publicandis reſcriptis Regijs præeſt*; & certò conſtat hoc Decretum per totum Imperium auctoritate publica per illos Mandarinos, qui per totum Imperium auctoritate publica præſunt reſcriptis Regijs publicandis, publicatum eſſe; nec eſſe hìc in Sinis, qui id vel in dubium vocare, vel ei contradicere poſſit. *Ego mox, vt illud accepi paulò antè initium anni noui Sinici, litteris maioribus deſcriptum in patenti loco affigi curaui, vt omnis illa multitudo Sinarum, quæ venit initio anni noui, illud legeret.* Id ipſum iuſſu meo, & R. V. vt nouit, fecit in Eccleſia ſua Foxanenſi.

Pe-

Petière inſuper à me eiuſdem Decreti impreſſi varia exemplaria omnes alij Miſſionarij, qui hic ſunt, maximè Patres Franciſcani, vt illud vbique inter Chriſtianos ſpargerent, & vniuerſim omnes ſummè eo contenti fuerunt, dixeruntque iam nihil ampliùs ad dilucidationem facti poſſe requiri, nec ſibi videri, *quæ melior, & certior via potuiſſet iniri, vt ſimùl omne dubium tolleretur, & haberetur ſimul autentica, & publica coram toto Imperio proteſtatio, quo ſenſu tales ritus perficiantur in hoc Imperio, & Chriſtianis permittantur*.

6. Intentio tamen PP. Pekinenſium non fuit alia, quàm vt dilucidam, certam, autenticam, & innegabilem facti expoſitionem haberent &c.

7. Mittunt etiam PP. Pekinenſes in libello Pekini impreſſo, & ſubſcripto ab illis varia teſtimonia Summorum Præſidum, & Litteratorum circa illud ipſum factum. Fuerunt hæc iam alijs Miſſionarijs, Epiſcopis, & Vicarijs communicata, & nullus pariter fuit, qui ea in dubium vocaret; quin & hæc pariter magna cum ſatisfactione excepère omnes.

8. *Præter hæc teſtimonia mitto plurima alia à varijs Litteratis per totum Imperium iam quondam collecta, & niſi timeremus, ne videremur vilipendere ipſam declarationem Regiam, quaſi illa non ſufficeret*, poſſemus ex omnibus Prouincijs ab omnis generis Litteratis innumera colligere teſtimonia de re, quam ipſi Sinæ vtique ſecundùm legitimam ſuam doctrinam pro vera, & certa habent.

9. *Mitto etiam autentica teſtimonia, quòd non ſolùm Societatis Miſſionarij, ſed & alij ferè omnes ex omnibus Ordinibus, & Inſtitutis in praxi eadem permiſerint* omninò, quæ permiſit Societas circà hos ritus; id, quod & ego per eam, quam per viginti annos habeo, notitiam, tùm hìc Cantone experimentaliter, tùm ex alijs locis per certam, & conſtantem relationem teſtari poſſum. *Modò item nullus ex Epiſcopis Ordinarijs, vel etiam alijs Vicarijs Apoſtolicis recèns conſtitutis in ijs locis, vbi habemus Miſſiones, præter Illuſtriſſimum Cononenſem, quidquam immutare circa hos ritus voluit. Et tamen, ſi vera ea eſſent, quæ Sacræ Congregationi ab Accuſatoribus contra eos ritus propoſita ſunt, & ſi tales eſſent, prout ibi depinguntur, impoſſibile eſſet, vel ſibi imaginari, à tot, & tantis doctrina Europæa, litteratura Sinica, Religione, & Virtute eximijs Viris eos vllo modo potuiſſe tolerari*, nedum permitti, etiam poſtquam toties inter omnes Miſſionarios hæc examinata, diſputata, &

& tot tractatus hinc inde ſcripti, lecti, & relecti fuère.

10. Pro obligatione mea &c. Sanctæ Sedi expono. Primò explicatum iam à multo tempore eſt Neophytis *decretum Alexandri VII. de veritate facti, cui illud innititur, dicunt illi, & ſibi, & nobis iam non poſſe eſſe dubium, vbi ipſe Legislator, & Summi Præſides palàm id ipſum nobis explicant, quod illi etiam ſuorum rituum, & doctrinę vtique non ignari ſemper nobis antea teſtati ſunt.* Cæterùm aiunt, id ſemper ſibi à ſuis Miſſionarijs inculcatum fuiſſe, Summorum Pontificum decreta pro infallibili ſemper regula habenda eſſe &c. Certum eſt, quod hæ controuerſiæ denuò excitatæ multum lucrum animarum impediant, multùm ſcandalizent Neophytos &c. Secundò paſſim iam infamatur Sancta Lex inter Gentiles, qui paſſim dicunt, eam eſſe incertam, quæ nunc dicit malum, quod anteà dicebat bonum &c. Tertiò Hinc etiam ſummum imminet periculum, vt vnanimiter omnes prudentiores teſtantur, & dabitur quaſi certa occaſio, vt Sancta Lex, vt mala, & noxia, & quæ ſit contra rationem à natura inditam condemnetur à Tribunalibus, & ab ipſo demum Imperatore &c. Quartò etiam vbique terrarum poteſt oriri grauiſſimum Sanctæ Legi præiudicium, vt dicatur, ea per centum, & ampliùs annos *in re iam toties propoſita, & diſputata tam notoriam, prout modò depingitur ab Accuſatoribus, Idololatriam non agnouiſſe, quin, & permiſiſſe decreto publico ab ipſa Sancta Sede dato &c.*

11. Succeſſit poſt motus illos in FoKien Chriſtianorum contra Illuſtriſſimum D. Maygrot, vt peſſima illi agitare cæperint conſilia, & voluerint d. Dominum accuſare ante

Vide ſupra in Epiſtola Illuſtriſs. Aſcalonenſis ſub litt. G. verſus finem.

ſumma Prouinciæ Tribunalia *tamquam reum læſæ Maieſtatis, qui perſequeretur dona ab ipſo Imperatore data, & quod prohiberet cultum, & memoriam filialem filiorum ergà ſuos Progenitores, & Diſcipulorum ergà ſuum Magiſtrum*, & Summa Dei miſericordia fuit, vt à PP. Societatis talis accuſatio præſciretur, & impediretur; ſecùs toti Sanctę Legi grauiſſimum imminebat periculum. Modò item intellexi ex litteris de FoKien, quod vnus Mandarinus Vrbis *yen pim* nouam denuò moueat perſecutionem, & accuſet Sanctam legem, vt falſam, *quod filialem poſterorum erga ſuos Progenitores obſeruantiam, & gratum animum, quem ipſe natura inſtinctus doceret, illa prohiberet*, vt idem Mandarinus audiuiſſe ſe ait in *Focheu* Metropoli; fa xit Deus ne accuſatio progrediatur ampliùs. Certum

Digitized by Google

eſt totam Miſſionem ob motas denuo has controuerſias ſummè periclitari &c.

13. Scriptum erat huc ex Europa, quòd in proximo iam eſſet, vt condemnarentur à Sancta Sede omnes hi ritus Sinici, ac proin Miſſionarij cautè procederent in ijs approbandis, vel permittendis, his tamen non obſtantibus ex ſpeciali Dei Prouidentia tantum valuit veritas, vt tot teſtes illi ſubſcriberent. Cantone 10. Ianuarij 1702.

Carolus Turcottus.

Noua Teſtimonia omnium Ordinum, qui ſunt in Sinis de veritate Facti pro Decreto Alexandri VII.

Num. 2. Teſtimonia RR. PP. Franciſcanorum:

R. P. Fr. Ioannis Fernandez Serrano ex Ordine S. Franciſci epiſtola ad R. *P. Carolum Amiani S. I.*

Q

Teſtimonium R. P. Fr. Fernandez Serrano ex Ordine S. Franciſci:

Admodum R. P. Carole Amiani accepi gratiſſimam V. Paternitatis &c. Quando veni ad hanc Eccleſiam de Nangan, reſidebat in illa P. Fr. Petrus de la Piñuella, qui *ſequebatur proxim Societatis Ieſu*. Ego proſecutus ſum eodem modo, quòd mihi perſuaderem d. P. Fr. Petrum de la Piñuella id non egiſſe ſine grauibus fundamentis, eò quod *viginti ampliùs annos* Miniſter eſſet in China, & applicuiſſet ſe ſtudio litterarum Sinicarum, quemadmodum oſtendunt multi libri ab illo impreſſi. Deinde vidi *tractatum vnum P. Fr. Auguſtini de Sancto Paſchali* (piæ memoriæ) in quo doctè probat licitum eſſe cultum Progenitorum, & vſum Tabellarum. Etiam apud me habeo reſponſum, quod dedit R. P. Fr. Ioannes de Paz Dominicanus P. Fr. Michaeli Florez, qui illum conſuluit ſuper dictis materijs de Auis, & Tabellis, quod mihi videtur ſufficiens ad deponendum omnem ſcrupulum, quem Miniſter poſſit habere. Cum omnibus his recenſitis fundamentis ſemper perſiſto in praxi, quam cæpi, attamen ſemper continuando ſtudium, & faciendo alias diligentias ad acquirendas maiores notitias tàm ex libris Sinicis, quàm ab alijs perſonis doctis in ritibus, & conſuetudinibus huius Imperij, & ſecuram reddo V. P. *non inueniſſe me aliquid in contrarium alicuius valoris, quinimò multum in fauorem eius*, quod ſequor, & vidi ſpecialiter tractatum, quem edidit P. Fr. Gregorius Lopez; & hic Dominus (vti non ignorat V. P.) *in materijs, & quæſtionibus Sinicis habuit*

Iſte tractatus citatur inferius ſub litt. T.

Iſte tractatus hic iam habetur impreſſus ſecundum aliquam partem.

C *habuit*

Vide inferius litt.V & litt.X.ad nu.18.

habuit maiorem authoritatem, quàm habuerint, & habent quotquot Europæi ingreſſi ſunt Sinam huc vſque, & hoc audiui à perſonis valdè grauibus (& quæ hodiè ſunt conſtitutæ in Dignitate in hoc Imperio) quæ tractârunt cum d. D. Fr. Gregorio, & oppoſuerunt illi graues difficultates circa Cultum Auorum, Confucij, & vſum Tabellarum, & d. D. doctè reſpondit, dimittendo dictas perſonas ſinè vllo iam ſcrupulo, *vt ſequerentur opiniones Societatis*. Etiam mihi conſtat, quod *ex RR. PP. S. Dominici, qui intrauerunt Chinam, ij, qui magis erant addicti ſtudio literarum Sinicarum, fuerint eiuſdem Sententiæ, cuius erat D. Fr. Gregorius, & vnus ex illis nominatus Sarpetri miſit ſua fundamenta ſuo Reuerendiſsimo Magiſtro Generali, qui illi reſpondit approbando id, quod faciebat*. Videat ergo Veſtra Paternitas, an non ſint ſufficientia fundamenta, vt incedam ſecurè in mea praxi, *præcipuè cum experientia me doceat id ipſum, quod legi, & vidi*. Verum quidem eſt non deeſſe, qui velit imminuere, & extenuare auctoritatē ſupracitatam; nunc ſcilicet, cùm plerique illlorum mortui ſunt, & ſpeciatim auctoritatem D. Fr. Gregorij Lopez, dicendo non poſſe illius dictum dare vllum pondus opinionibus; ego dico: opinionibus, quarum probatio pendet à Theologia, & Canonibus, verum eſt, prædictum Dominum non potuiſſe dare illis pondus; Sed opinionibus, quarum probatio pendet à doctrinis, & Ceremonijs Sinicis, falſum eſt; *quia nemo meliùs cognoſcebat D. Fr. Gregorium, antequam eſſet Epiſcopus, quàm ſui Prælati, & iſti illum inuenerunt aptum, cui committerent, vt coniunctìm cum melioribus Literatis de Chang Cheu, & Moyam, videret, & examinaret materiam de confucio, Auis, & Tabellis*, ac poſtea diceret ſuam ſententiam. Illud ſic fecit, & quid retulit ex ſuis laborioſis ſtudijs? vt haberetur Idiota *& quare? quia ſecundùm Deum, & ſuam conſcientiam dixit id, quod ſentiebat, & non dixit id, quod Sectatores contrariæ opinionis volebant*. Hæc eſt ratio, quam habent, R. Pater, illi, qui dicunt dictum Dominum non habuiſſe authoritatem ad dandum pondus iſtis opinionibus Chinæ. videat V. P., *quis ſit hic modus quærendi viam ad ſaluandas animas*. Ad extremum dico, quod ſentio: *Iſtæ quæſtiones non ventilantur ea ſinceritate, quam Deus præcipit, procurando examinare veritatem cum veritate, & non auferendo fidem Viris, qui ſinè vllo alio reſpectu, quàm honoris, & gloriæ Diuinæ* tantoperè laborarunt pro exaltatione eius Sancti Nominis in hoc Imperio, atque illis, qui in præſenti imitantur Zelum Præde-

Vide inferius litt: V:& litt.X.ad n:231

ceſ-

Digitized by Google

ceſſorum ſuorum &c. *Denique R. Pater, circa iſtas quæ-ſtiones iam nos Europæi parùm habemus, quod diſputemus, cum declarauerit Imperator, & Primates eius Imperij, quomodo ipſimet id intelligant &c.*

Nangan 16. Nouembris 1701.

V.P. Multum R. Minor Seruus.

Fr. Io: Fernandez Serano.

R.P. Fr. Ioannis Bonauenturæ de Roma Ordinis Sancti Franciſci Epiſtola ad Admodum R.P. Turcotti Viſitatorem S.I.

Admodum R. P. Viſitator Carole Turcotti.

R

Menſe Iunio 24. die accepi vnam &c. Mihi reſtat ſignificare V. P. Admodum Reuerendæ rem notabilem, nimirum, quòd priuſquàm contingeret caſus ſupradictus, inuiſi Pro-Regem ſimel cum Clerico Gallo nominato Fang, & nomine Europæo Domino Franciſco Gaſparo Cheti: Collocuti ſumus de Sancta Lege multo tempore, & bonus ille Clericus perſiſtebat inſtando plus media hora rationibus, quod daretur, *Tien*, *Chu*, (ità Deum omnes nominamus) Pro-Rex cum multa patientia illi reſpondit præciſa verba: *Pater quid te fatigas in hoc, omnes nos Sinenſes credimus, quod ſit vnus Dominus in Cœlo, & quando dicimus Cœlum, intelligimus Dominum huius Cœli*. Videat Veſtra Paternitas Admodum Reuerenda, quomodo res procedant, & ego remaneo cum maiori fundamento &c. Ngam Kim 26. Auguſti 1701.

Teſtimonium R.P. Fr. Io: Bonauenturæ de Roma Ord. S. Franciſci.

Deuotiſs., & Obligatiſs., & Studioſiſs. Seruus.

Fr. Io: Bonauentura de Roma.

Poſtſcriptum = Faciat mihi hanc gratiam, vt hanc Epiſtolam tutò Romam mittat ad Sacram Congregationem, & & hanc incluſam, quia in ea refero caſum, qui ſucceſſit: & cum hoc determino me ad ſequendam opinionem PP. Societatis; quia licèt ego ſim adhuc ignarus in litteris, nihilominùs quantum video, & audio, eſt magis conformis Sinenſibus, poteſtque fieri ſinè vllo minimo ſcrupulo: atque illi dico, *declarationem factam ab Imperatore, & ſimul, quod omnes Miſſionarij remanent contenti* (maior pars tamen) Illi mitto vnam copiam declarationis Imperatoris impreſſam Nan Kini.

Vide inferiùs ſub litt. NN.

Digitized by Google

R. P. Fr. Auguſtini à Sancto Paſchale Ordinis Minorum reſponſio ad Epiſtolam D. Abbatis de Lionne.

S

Teſtimonium R. P. Fr. Auguſtini à S. Paſchali Ord. Min. Miſſionarij in *S*inis.

Aſſeruerat D. de Lionne præter P Antonium à S. Maria, etiam alios ex primis Miſſionarijs Ord. S. Franciſci oppoſuiſſe ſe PP. Societatis circa cultum Defunctorum.

Cum inciperem reſpondere huic Epiſtolæ &c.

Ex num. 5. Ergo Domine ſtatuemus praxim alicuius Miſſionis in imitatione hominum, *qui ob linguæ ignorantiam Miniſterium ſuum exercere non potuerunt, & poterunt iſti tanquam exempla allegari, quibus debeant ſeſe Succeſſores* ☞ *accomodare? &c.*

Aſſeruerat idem D. non potuiſſe permitti tabellas à PP. Franciſcanis, eo quòd in ijs ſcriptũ eſſet: *Sedes Animę*, & quod Gentiles ex ſua Inſtitutione crederent animas eſſe pręſentes.

Ex num. 22. Diſtinguo antecedens, quod habet tres partes. Prima eſt: Non permittebant (PP. Sancti Franciſci) tabellas abſolutè concedo, cum proteſtatione nego. Secunda eſt: Habetur in ea ſcriptum, *Sedes Animæ*, ſecundùm commune Europæorum dictum concedo, *ſecundùm Sinicam doctrinam nego*. Tertia eſt, id quod credunt Infideles vi ſuæ Inſtitutionis, *ſecundùm P. Ybannez Europęum concedo, ſecundùm D. Gregorium Lopez Sinam nego &c.*

Dicebat D. de Lionne S. *S*edem non poſſe non eſſe multum ſollicitam, vbi audierit eſſe Miſſionarios in *S*inis, qui permittũt, quę certò iudicant eſſe idolatrica.

Ex num. 38. Ex hac periodo (Domini Abbatis de Lionne) infertur, quod ſit neceſſarium monere Sedem Apoſtolicam eſſe Miſſionarios in China, qui permittunt, quod certò habent pro Idolatrico, vt ponat remedium huic abſurdo, eſt valdè iuſtum. Verumtamen etiam erit neceſſarium, *monere Sedem Apoſtolicam, quod ſint Miſſionarij in Sinis, qui inuertunt ſenſum illorum, quæ legunt, vt accuſent, & calumnientur alios*; Ego hoc quæram; V. D. Rm̃a quærat illud &c.

Aſſerebatur ab eodem D., pauca Admodum eſſe loca, in quibus obſeruarentur praxes *S*ocietatis circa cultum *D*efunctorum.

Ex num. 39. Veniamus ad Prouinciam Fokien, in Ciuitate *Focheu*, vnde ſcripſit hanc Epiſtolam (Dominus Abbas de Lionne) *in yem pim, & Tim Cheu*, & in omni Diſtrictu harum trium Ciuitatum, certum eſt, *quod viderit V. Dominatio introductam praxim Societatis, & omnes Veſtræ* ☞ *Dominationes ex quo cæperunt adminiſtrare, vſquè ad promulgationem Decreti Domini Maygrot conformârunt ſe cum illa &c.*

Ex num. 41. Et V. D., & alij Domini, qui huc vſque fuerunt in Fokien, & qui ſe conformârunt cum opinione Societatis, poſtquam prodijt mandatum Domini Maygrot, *quam bonam rationem dant Chriſtianis, quod non permittant* ☞ *nunc id, quod antea permittebant? &c.*

Ex num. 43. (Pater Fr. Antonius à Santa Maria primus Miſſionarius ex PP. Franciſcanis, quando veniebat ad Eccleſias, & loca, vbi erant Chriſtiani de Societatis, audiebat

illorum confeſſiones, & adminiſtrabat Sacramenta, ſicut alij Miniſtri, quin tangeret has materias &c.

Ex num.59. *Qui ſunt qui ſcripſerunt ad ſtabiliendam noſtram Sanctam Legem tot libros, non ſciebant legere libros Sinicos ad examinandas iſtas quæſtiones?* Non fuit in tanto tempore vnus Theologus Societatis, qui ſciret diſtinguere inter Idolatricum, & politicum? Omnes erant Idiotæ? Omnes Cæci? & ſola Veſtra Dominatio oculos habet? &c.

Dicebat idem D. ex eo, quod permittatur ea, quæ conſtat eſſe Idolatrica, hac *M*iſſionem meritò habendam pro cõfuſione Babylonica.

Ex num.62. Habeat meam Sententiam, & eat Romam, *petat à Sancta Sede, vt mittat in Sinas vnum Prælatum cum auctoritate ad congregandos ex quauis religione aliquos Miniſtros, cum quibus faciat Concilia, & accipiat rationes ab illis, & ſecundùm illas determinet, vel remittat Romam, vt ibi determinetur hæc quæſtio: Ego non video aliud medium ad eam finiendam &c.*

Ex num.70. Concedamus totum, quod vult (Dominus Abbas de Lionne) nihil infert contra opinionem PP. Societatis, qui habuerunt homines, tam doctos in litteris Sinicis, *vt etiam ipſimèt ſinæ ipſis attulerint ſuas compoſitiones, vt illas emendarent*; An explicatione alicuius Literati (*Siam Cum*) *egebant P. Aleni, P. Diaz, P. Pantoya, P. Bullio, & alij multi Societatis? potuiſſet ne illos decipere ille Litteratus?* (Siam cum) *Incipiamus per amorem Dei aliquando aperire oculos, nam ſeriùs, ocyùs veritatem tempus in lucem eruit &c.*

Obijciebat D. Abbas facilè eſſe, vt Miſſionarij Europæi decipiantur à ſuis Inſtructoribus *S*inéſibus, & illis occultetur veritas.

Ex num.72. Cum ſua rerum confuſione probat (Dominus Abbas de Lionne) ſolùm ſuam malam fidem, & affert Epiſtolam P. Ybannes, ideſt praxim, quam dixit, & quod non admiſerit tabellas Pater de Conceptione; *hæc omnia ſunt chimeræ*. Nam Epiſtola Pater Ybannez, iam dixi, quomodo intelligatur, & quam praxim habuerit, & quomodo Pater de Conceptione admiſerit tabellas, *& omnis alia Coniectura, quam facit, non eſt aliud, quàm parùm fumi, & verba otioſa ſinè ſucco bonæ intentionis in ordine ad Miniſtros, & Chriſtianos Sinas &c.*

Afferebatur auctoritas P. Ybannez, & P. Franciſci de Cõceptione Miſſionariorum ex Ordin. *S*. Franciſci contra ritus *S*inicos ergà Defunctos.

Ex num 75. Id, quod vidimus hìc in P. Ybannez erat, quòd omnes audiret confitentes, quin vllum dimitteret ad PP. Societatis &c. Dicta P. Ybannez oportet eſſe cerea, cùm tàm facile in alias vertantur figuras, vt poſſint ſeruire omnibus Comædijs &c.

Ex num.80. Et Miniſtri, qui conformant ſe opinioni Societatis, ſunt ignaui, qui nolunt auferre Dęmonio, & Damnatis honorem Deo debitum, & Societas hęc permittit! *Horribilis*

Dicebat idẽ D. fore bellum Admodum *S*anctum, & meritoriũ, ſi eſſent aliqui

Miſſionarij tanti animi, vt auderent auferre Dęmonio, & Damnatis honoré ſoli Deo debitū, & qui haberent Zelum ſimilē illi, qué iam habuerunt aliqui *S*ancti PP. Ordinis *S*. Franciſci, vt cum valore reſiſterent Aduerſario tàm terribili (Societati Ieſu) qui videtur multis timorem incutere, etiàmsi non habeat gladiū:

ribilis ſententia: eò peruenire, vt quis iudicet Miniſtrum Dei permittere Sacrificia Dęmonio! Sit V. D. Magnanima, prout libuerit &c.

Quinam ſunt illi Patres mei Ordinis, qui ſe magnanimos in Sinis oſtenderunt? ex illis, qui me anteceſſerunt, ſolus Pater Fr. Antonius de Sancta Maria ſcripſit de his materijs, nam de alijs nullus ſciuit linguam, nec litteras Sinicas, & ſolus P. Fr. Bonauentura ſciuit linguam ad adminiſtrandum. *Quales ergò ſunt iſti Sancti Patres, ad quos canonizandos ſufficit, quod ſe oppoſuerint opinioni Societatis?* Dicet: erant Pater de Conceptione, & P. Flores: ego dico; *Quando ſe oppoſuerunt hi, erant ſicut Veſtra Dominatio Reuerendiſſima, qui neſciebant quaenam eſſet opinio Societatis*; Et opponendo ſe non erant tam audaces in loquendo, *& quando illam ſciuerunt, deſtiterunt, ne caderent in ignorantiam*, quam in aliquibus Doctis ponit S. Gregorius: *Quantacumque*, dicit, *doctrinâ mens polleat, grauis eius imperitia eſt, velle docere meliorem*. Sed hic Aduerſarius tam terribilis, qui non habet gladium, eſt Societas. Quæ miſeria, quòd non habeant gladium Patres Societatis! Verumtamen ſi gladium non habent, habent Zelum Dei, & ſalutis Animarum; habent Zelum Miſſionis; *Nam ſoli illi illam conſeruant, & ſoli ſinè gladio ſe opponunt omnibus inſultibus, quibus Infernus illam deſtruere conatur &c.*

Ex num. 93. Pater Polanco dicit ità: *Cum eadem gentilitas credat Animas Defunctorum maiorum commorari in quibuſdam tabellis &c. Hac propoſitio nec in doctrina Sinica, quæ non ponit animas in tabellis, nec in errore communi poteſt verificari &c.*

Et num. 103. Hoc ipſum eſt, qnod ego dico, *& nego quod ponant poteſtatem, & excellentiam propriam Dei in ſuis Auis &c.*

Ex num. 104. Solùm eſt verum Sacrificium, oblatio facta illi, in quo ponunt poteſtatem, vel excellentiam propriam Dei, *in China non ponunt poteſtatem, vel excellentiam propriam Dei in ſuis Defunctis*, quia ſupponunt illos annihilatos, *ergo oblationes factæ Defunctis non ſunt vera Sacrificia*; Minor eſt probata in multis partibus, & conſequentia eſt legitima &c.

Ex num. 111. Doctrina Sinica, ſicut iam probaui, non habet Animas, quas ponat in tabellis, & his temporibus has tabellas adhibent in oblationibus, vt ſupponant, ſeu repræſentent animas, quæ ibi non ſunt, cùm ſupponantur annihilatæ

Digitized by Google

hilatæ; *Hic modus operandi eſt res communiſſima in China, nam erga Sedem fit Cęremonia, quam vocant pay guei facere reuerentiam Sedi*. It vnus ad viſitandum alium, non inuenit illum Domi, ſolet ingredi Aulam; ponit Sedem in medio Aulæ, & ſtatim facit reuerentiam tali Sedi, id quod eſt facere reuerentiam illi, ad quem viſitandum veniebat.

Eſt pariter ritus, vt quando vnus bonus Mandarinus Officium abſoluit in aliqua Ciuitate, Vicini in gratiarum actionem *ſoleant erigere Ædificium, quod nominant Sem Cu Templum Viuorum, ibi ponunt menſam, & ſuper eâ erigunt vnam tabellam cum Nomine Mandarini, ponunt ibi pariter Ollam fumariam ante tabellam, ad offerendos odores, & ibi faciunt reuerentiam huic homini ante tabellam, atque adeò* hæc tabella repreſentat, aut ſupponit pro illo homine, vtpote qui ibi non adeſt, & propterea in ea faciunt illi reuerentiam. Et tabella Imperatoris idem probat; in illa ſcriptum eſt; *van ſui van van ſui viuat mille millia annorum, ea exiſtit in omnibus Ciuitatibus, & Oppidis Regni, & quolibet die anni noui, & natiuitatis Imperatoris debent omnes Mandarini facere ſuas inclinationes, & proſtrationes ante iſtam tabellam, & hæc reuerentia fit Imperatori, quia ibi ille non adeſt*, igitur hæc tabella repræſentat, aut ſupponit pro illo = *Eodem modo intelligenda eſt tabella Auorum &c.* Vide infrà litt. MM.

Ex num. 112. Credit V. D., quòd cùm dicant Sinæ ſe inuitare Spiritum, vt veniat, illi credant venire Spiritus ſuorum Auorum (*At ego ſcio non ità eſſe, iam dixi in opuſculo num. 125. cum auctoritatibus Libri Hiao Kim nil eſſe aliud inuitare Spiritus, niſi imaginari, quod hic ſint, & dum dicunt eos venire, ſolùm eſſe reuereri ſuos maiores defunctos, & ſignificare ſe illorum non obliuiſci*; & ſic totum iſtud conſiſtit in Imaginatione Sinarum, qua fingunt ſibi adeſſe, & venire ſuos Auos &c.

Ex num. 127. *Sinæ nullam diuinitatem animabus defunctorum concedunt, nil ab ijs ſperant, aut petunt*: hæc vltima verba (P. Martinij) *video ego poſita cum maxima aduertentia, & oſtendit* (P. Martinius) *in illis intelligentiam, quam habebat de rebus Sinicis, nam in doctrina Sinica inuenio illa eſſe vera &c.*

Ex-

T
Aliud teſtimonium eiuſdem R.P.F.Auguſtini à S. Paſchali Ord. Min.

Excerpta ex Tractatu R. P. Fr. Auguſtini à Sancto Paſchali Ord. Min. in Sinis Miſſionarij, cui titulus: Opuſculo Fiſcal de Conciencia *ſuper Ritibus Sinicis, ac praxi Miſſionariorum in Metropoli Cantonienſi ſcripto 2. Februarij 1694.*

DIFFICVLTAS V.

An Miniſter Euangelicus &c.

Ex num. 84. *Huc vſque omnes Miniſtri, quicumque fuerint, id in praxi obſeruarunt* (loquitur de Sententia Societatis circa hos Ritus, qui ſolent exhiberi Progenitoribus, & Confucio,) *& non erit vllus, qui poterit affirmare cum veritate: ego in adminiſtratione Sacramentorum, & in Prædicatione nullo modo me conformaui cum Sententia PP. Societatis*. Nam ſi non in toto, at in parte continetur in iſta clauſula, & cum viderim vniuerſalitatem huius praxis, feci dictamen, & poſui propoſitionem dictam &c. Incipio à meo Ordine.

Ex num. 85. *P. Fr. Antonius à Sancta Maria Vir verè Apoſtolicus, & primus Fundator meæ Miſſionis Seraphicæ &c. P. Fr. Bonauentura Ybannez &c. P. Fr. Franciſcus de Conceptione, & P. Fr. Michael Flores, & P. Fr. Iacobus Tarin &c. P. Fr. Ioannes Franciſcus de Leoniſſa Vicarius Apoſtolicus de Nankim, P. Fr. Baſilius Glemona*, Pro-Vicarius Domini de Argolis fecerunt, & faciunt id ipſum in omnibus Chriſtianitatibus Imperij, quò iuerunt, & demum *omnes Religioſi mei Ordinis facimus id ipſum*.

Ex num. 86. Veniamus ad PP. Ordinis Prædicatorum. Ven. *P. Fr. Franciſcus Varo* dicebat ſe habere euidentiam, quòd Tabellæ Progenitorum eſſent ſuperſtitioſæ, ſicut, & alij Ritus, & Cœremoniæ huius quæſtionis; eius ſcripta dicunt conceptum, quem de illis habebat: & nihilominùs duobus annis, quibus fuit in Eccleſia Societatis de *Focheu*, & poſtea, quando ibi in illa Ciuitate emit domum, & aperuit Eccleſiam, morando ibi, *adminiſtrauit Sacramenta Chriſtianis, qui habebant tabellas*, de quibus ille habebat euidentiam, quòd eſſent malæ, & in hac Ciuitate, in Eccleſia PP. Societatis, quando ego intraui in Sinas, (& fui cum illo ſeptem menſes, quando ſcribebat ſuos Tractatus, quos reliquit ſcriptos contra opinionem Patrum) ego videbam, *quod eo ipſo tempore, quo in cubiculo ſcribebat, in*

Ec-

Eccleſia audiebat Confeſſiones Chriſtianorum PP. Societatis. P. Fr. Arcadius in *Ciuen Cheu*, & P. Fr. Maginus in *Cham Cheu* adminiſtrabant Sacramenta Chriſtianis, quos ibi inuenerunt, & qui erant PP. Societatis, & non poteſt dici, quod iſti reliquerint ſuos Ritus; Nam hucuſque ſunt in ſua Sententia. *P. Fr. de Alcala* ſingulis annis bis vadit in *Ham Cheu*, vt adiuuet in Confeſſionibus audiendis Patrem Intorcetta Societatis. *P. Fr. Saluator de Sancto Thoma* fecit id ipſum. Reliquos Religioſos dicti Ordinis non nomino, cùm neſciam quid obſeruarint, vel obſeruent in hac materia: Verumtamen, ſi non intrant per hanc portam in Sententiam Patrum, intrabunt per aliam, quam poſtmodùm aperiam.

Ex num. 87. Religioſi Ordinis Heremitarum Sancti Auguſtini omnes ſunt vnanimes pro me. *P. Fr. Aluarus de Benauente, P. Fr, Michael Rubius, P. Fr. Ioannes de Ribera* eo tempore, quo fuere in hac Ciuitate, & quando veniunt ad illam, ſinè difficultate, & ſcrupulo vllo adminiſtrant Sacramenta Chriſtianis Societatis.

Ex num. 88. Veniamus ad DD. Clericos. *D. Doctor D. Carolus Maygrot* Vicarius Apoſtolicus de Fokien &c. anno 1685. dignatus eſt mihi communicare rationem vnam, quam habebat, cur deberet condemnari opinio Societatis, *& hoc non obſtante, eo ipſo anno in hac Eccleſia N. P. Sancti Franciſci extra muros Cantone per integram Hebdomadam Sanctam audiuit Confeſſiones Chriſtianorum, quin ſollicitus eſſet an eſſent PP. Societatis, an non, & toto tempore quo fuit in Cancheu* in Eccleſia P. Grellon, notorium eſt, quòd audiuerit Confeſſiones Chriſtianorum illorum &c. D. Philibertus Le Blanc per quatuor annos, quibus manſit in *Focheu* nullumne confitentem audiuit? &c. D. Quemener toto illo tempore, quo manſit in *Xaocheo*, antequam rediret in Europam, audiuit Confeſſiones totius Domus *Leao*, *qui erant Chriſtiani Patrum Societatis, & exploratum habemus, quod cæperit ibi prædicare, quin de his punctis mentionem vllam Neophytis faceret, ſed illos ſtylo Societatis dirigebat*. Et D. Ioannes Baſſet Pro-Vicarius de Kiamſi, hucuſque in eadem Eccleſia de *Xaocheu* eandem viam ſecutus eſt: *Dominus Ludouicus de Cicè in hac Eccleſia Cantonienſi abſque vlla perturbatione, & ſcrupulo omnes audit confitentes*. D. Abbas de Lionne per ſeptem annos, quos manſit in *Focheu*, præſumi poteſt, quòd aliquorum Confeſſiones audierit, cum ſit Vir doctus, qui ex Europa in Sinas venit cum zelo ſaluandi Animas &c.

Ex

Ex num. 94. Tertia eſt, quia non eſt ratio, qua poſſit perſuaderi Chriſtiano, quòd erret ſequendo idem, quod ſuus Miniſter eum docuit, nam ad hoc opus eſt probare illi, aut perſuadere: Primò, *quòd ego meliùs ſim aſſequutus, quàm Patres Societatis intelligentiam ſuorum Librorum, doctrinarum, & conſuetudinum, atque hoc apparet quàm ſit difficile* perſuadere Sinenſibus, & ſi cui facile appareat, interroget P. Fr. Iacobum Tarrin, quid illi ſucceſſerit in *Hoeicheu* cum quodam Chriſtiano inſtructo in doctrina Patrum Societatis, qui omnes nos, quotquot ipſi non aſſentiebamur, qualificauit tanquam maximos Idiotas, *& id* ☞ *probauit ex eo, quòd omnes Libri, qui Legem Dei in Sinis docent, ſunt Patrum Societatis, & quòd alij Miniſtri ſpecimen ſuæ Scientiæ nullum dederint, ſicut Patres, non ſolùm in hac materia, verùm etiam in Mathematicis*. Interroget ſimiliter P.Fr.Ioſephum Nauarro, quid illi contigerit in *Xunte, vbi duabus iam vicibus eandem illi cantarunt Antiphonam, & ſimiliter illam cantarunt in Siam Lo Hien*. Doceant me poſt hæc viam aliquam ad illis perſuadendum certum eſſe id, quod ego doceo, & quòd erroneum eſt id, quod illi eos docuerunt. Alterum eſt, quòd neceſſarium erit probare illis, quod Patres docendo illos id, quod docent, peccent, & propter hoc peccatum eant in Infernum, & quòd eos non ducant per viam Cœli, & quòd per talem viam non ſaluantur. Atquì ego dico peccaturum illum grauiſſimè, ſi tale quid ſuis Chriſtianis dixerit &c.

V

Aliud teſtimonium eiuſdem R.P.F.Auguſtini à S.Paſchali Ord: Min:

Ex alio Tractatu, ſeu reſponſoria Epiſtola prædicti Reu.P.Fr. Auguſtini à S.Paſchale Ord. Min. ad Reu. P. Fr. Bartholomæum Marron Ordinis Prædicatorum &c. data Cantone 17.Octobris 1695.

Videatur inferiùs ſub litt:X:ad nu:18: & ſuperiùs ſub litt: Q

Videatur inferiùs ſub eadem litt:X:ad num:23, & ſuperiùs litt:Q

Ex num 80. Et quid dicemus de P. Fr. Dominico Sarpetri, qui ſemper defendit quartam opinionem (poſſe permitti Chriſtianis tabellas defunctorum) quid *de Reuerendiſſimo Patre Magiſtro Generali Ordinis S. P. N. Dominici, qui id illi approbauit*; quid dicemus de D. P. Fr. Gregorio Lopez, qui antequàm eſſet Epiſcopus permittebat tabellas ☞ Chriſtianis de *Loyuen*? *quid de illo Superiore Miſſionis N. P. Sancti Dominici, qui mandauit illi, vt eas permitteret*? Quid dicemus de Miſſionario N. P. Sancti Dominici, qui permiſit tabellas Chriſtiano de *Leuyam*? Quid dicemus de Reu. P. Fr. Ioanne de Paz, qui eſt decus, & ſplendor huius Sanctæ Prouinciæ de Roſario, qui interrogatus à P.

Fr. Michaele Flores de tabellis, *probat doctiſſimis rationibus illas eſſe permittendas Chriſtiano? & quid dicemus de illis Miſſionarijs N. P. Sancti Dominici*, qui ſuam ſententiam dederunt Reu. P. Fr. Franciſco Varo, vt poſſet ſecuros reddere P. Fr. Arcadium, & P. Fr. Maginum, *qui permiſerant in Hianan Chriſtianis tabellas, nam vnam ex his ſententijs habeo mecum hic Cantone*; & *P.* Fr. *Lucas Eſteuan* mei Ordinis, in vno ſcripto, quod fecit in fauorem tabellarum, poſtquam probauit multis rationibus *illas eſſe licitas*, dicit: *Et pro vltimo dico, quodqui à principio erant ſententiæ contrariæ, erant Religioſi Sancti Dominici, & hoc non obſtante permittunt tabellas in Eccleſijs de Hianan, ſicut mihi dixerunt quinque Religioſi eiuſdem Ordinis &c.*

Concordat cum tranſumpto originali, quod in Vrbe Cjnan Fù Metropoli Prouinciæ Xantum ſeruatur deſcriptum.

Alexander Ciceri Epiſcopus Nankinenſis.

Eiuſdem Reu. P. Fr. Auguſtini de Sancto Paſchali Miſſionarij Apoſtolici Ord. Min. reſponſum ad ſcriptum Admodum Reu. P. Fr. Bartholomæi Marron Ordinis Prædicatorum.

X
Aliud teſtimonium eiuſdem R:P:F:Auguſtini à *S*: Paſchali Ord:*M*in:

Ex num. 7. Quantum ad id, quod dicit V. P., quòd certò ſciuerit P. Fr. Antonius (de Sancta Maria) tabellas eſſe malas, & peruerſas, ſicut conſtat ex ſuis ſcriptis, & ſpecialiter ex tractatu, qui eſt in Archiuio huius Sanctæ Prouinciæ, vnde citat multos paragraphos ſub finem ſui ſcripti. Aduertendum eſt, quod ille tale ſcriptum fecerit Manilæ anno 1637., vnde infertur, *quod P.Fr.Antonius quandò illud ſcripſit, necdum fuerit multum verſatus in materijs Sinicis, & ratio eſt clara*; nam primò ingreſſus eſt Sinas anno 1633., & redeundo Manilam fuit captus ab Hollandis, deportatus in Batauiam, & Ternatem, vbi hæſit captiuus, & inde venit Manilam, & computando totum illud tempus, quod ei poſſumus aſſignare pro commoratione in China, erunt pro prima vice tres anni, & in his neceſſarium eſt numerare tempus, quo ſtuduit linguæ, quod erat, quando iuit Nankinum, vt illi ſtuderet &c. conſtat etiam ex ipſius ſcriptis, quòd *quando fuit in Xantum, cæperit ſtudere litteris Sinicis, & ita quod Manilæ ſcripſit, fecit, vt Theologus, ſecundùm quod vidit Sinas Infideles operari, & non ſecundùm quod dictę actiones habent ex ſe iuxta fundamenta petita ex doctrina, & conſuetudinibus Sinarum &c.*

Habetur eius copia lingua Hiſpanica deſcripta à P:Ioanne Paulo Gozani *S*: I: *M*iſſionario in FoKien:

Ex

Digitized by Google

Ex num. 10. Tali modo ergò dico, quòd P. Fr. Antonius mutaſſet opinionem in ordine ad tabellas, vt poſſet aperire viam ad ſaluandas Animas, ſicut *de facto fecit in opinione de Xamti, quæ fortè erit pariter in tractatu, quem citat V. P., nam conſtat ex eius ſcriptis Europæis, quòd ſteterit pro opinione, quam habent PP. Dominicani de Xamti; & poſtmodum in Libro Sinico, quem impreſſit, cuius titulus eſt* Tien yu yn, *mutauit opinionem, & ſequitur eam, quam habent PP. Societatis*; & ſi ad ſaluandas animas non permanſit in opinione de *Xamti*, ſed cum tempore, & *notitijs, quas acquiſiuit, eam mutauit*, pariter cum tempore, & loco ad aperiendam viam ſaluationi Animarum mutaſſet opinionem de tabellis, neque ad tuendas ſuas opiniones, cùm eſſet homo tam Sanctus, & doctus, voluiſſet occludere portas Cœli illis, quibus ſinè ſuo damno poterat eas aperire &c.

Teſtimonium de R: P: Sarpetri Dominicano, qui cenſuit & ſcripſit licitos eſſe Ritus controuerſos

Ex num. 18. *Cognoui illum* (P. Sarpetri) *Religioſum valde reformatum, & adeò pœnitentem, vt fuerit neceſſarium mandare illi, vt comederet ſaltem aliquot oua, nam ſolis leguminibus ſe ſuſtentabat.*

Vide ſuperiùs lit: Q & litt: V:

Quando ego ibam in *Xantum*, tranſiui per Ciuitatem *Lanhi Hien*; & vidi duos Patres (Philippum Leonardum, & Sarpetrum &c.) ibi P. Sarpetri, vt ſatisfaceret mihi circa id, quod ei ſcripſeram in memorata epiſtola, mihi dixit, *quòd ſcripſiſſet ſuam opinionem, & ſua fundamenta Reuerendiſſimo P. Generali Ordinis N. P. Sancti Dominici, & quòd haberet eius reſponſum, in quo approbaret ea, quæ ageret.*

Teſtimonium de D: Epiſcopo Lopez, qui ipſum defendit:

Ex num. 23. Liceat mihi facere vnam digreſſionem ſolùm ob amorem, quem habui erga Dominum Epiſcopum Lopez, & dico poſſe gloriari Religionem Sancti Dominici, quòd habuerit talem filium natum in medio Syluæ huius adeò obſitæ malitijs, quales ſunt Idololatriæ huius vaſtiſſimi Imperij, & inde prodijt, ſicut lilium inter ſpinas, & tam aromaticum, vt Romam peruenerit eius odor, & fragrantia &c. Omnes filij huius Sanctæ Prouinciæ Roſarij plurimam habent cauſam gaudendi, eò quòd receperit habitum, & ſit profeſſus in illa inſtitutum Prædicatorum Vir tam dignus laude, de quo multas inſignes virtutes referre poſſem &c. Demum fuit verus Chriſtianus, feruens Miniſter, & indefatigabilis Apoſtolus in hoc Regnò cum ea primaria prærogatiua intra ſuos Sinas, quòd fuerit *primus Religioſus, primus Sacerdos, primus Epiſcopus, & primus Vicarius Apoſtolicus*, & hanc gloriam, quæ ſummè æſtimanda eſt, voluit Deus dare Inſigni adeò Religioni N. P. San-

Sancti Dominici, & huic Sanctæ Prouinciæ de Roſario. Ego non poſſum me continere, quin ab ipſa vſquè China offeram mille applauſus omnibus Incolis huius Prouinciæ, eo quòd talem habuerint fratrem &c.

Ex num. 32. *Ergò ſecundùm Sententiam V. Paternitatis. Si Miniſtri Chinæ non permiſiſſent tabellas, totum Regnum Spiritus ſanctus iam conuertiſſet: hoc dato ſic infertur &c. Qui pauciores baptizant, & ſunt magìs onuſti ſcrupulis in China, videmus eos eſſe, qui non permittunt tabellas: ergò prohibere illas eſt impedire conuerſionem in his locis &c.* ego loquor per experientiam, & non per diſcurſum, ſi confero illud tempus, quo tabellas prohibui, cum illo, quo eas non prohibui, *numerus Baptizatorum ſe habet veluti decem ad centum, & mea miſſio cum modo illo, quem obſeruat ſingulis annis, numerat vltra mille Baptiſmos, & videmus pariter Chriſtianitates PP. Societatis magìs florere, quàm alias in materia Chriſtianorum, & hoc permittendo tabellas.*

Ex num. 50. At nego, quod ibi (antè tabellas defunctorum) faciant deprecationes Chriſtiani, & ſi aliqui faciant, erunt Gentiles, *& hoc ex errore, & ignorantia ſua doctrinæ, & non, quòd ſcientia Sinica doceat, quòd ibi faciendæ ſint tales deprecationes*, & hoc iam probaui in meo ſcripto difficultate ſecunda; & Chriſtiani nullibi hoc faciunt, ſique alicubi faciant, facient ex ſua malitia, & non quòd Miniſter tale quid permittat, qui clarè docet, in tabella non eſſe ſpiritum, nec animam Auorum, nec illuc venire, nec poſſe venire, nec poſſe fauere, nec caſtigare, nec poſſe audire, vel recipere id, quod illis offertur &c. *Illis permittitur, vt poſſint ante illas ponere flores, & odores, & facere genuflexiones, quia iſta ſecundùm quod ordinauit Sacra Congregatio in ſecundo principio; quod ſtabiliui, reduci poſſunt ad actionem politicam iuxta conſuetudinem Regni &c.*

Ex num. 77. Secundùm Sectam Litteratorum non eſt anima; quæ poſſit venire ad tabellas. *Ità ſcripſi non pro his, qui ſunt in Manilia, qui non intelligunt has materias, ſed pro Miniſtris in China, qui eas intelligunt, & ita id affirmo, ita id probo, ita probabo ante quemuis, & non rationibus meis, ſed claris textibus Sinicis, & totà doctrinà Litteratorum huius Regni*, à ſuo Magiſtro Confucio ad hæc vſque tempora, quæ numerant ampliùs quàm duo millia annorum; tam ſecurus cum his omnibus ſum in hac parte &c.

Ex num. 81. Nunc ergò eſſet ne prudentia obfirmare me in

mea opinione, & dimittere reſolutionem Sacræ Congregationis; præcipuè *cum fuerim expertus opinionem illam, quàm ſequebar, ponere obſtaculum conuerſioni animarum?* &c.

Ex num. 82. Hæc opinio (qua permittuntur tabellæ defunctorum) *eſt probabiliſſima, & ſecuriſſima, & ſecuti ſunt eam multi, & ſemper maior pars Miſſionariorum Sinicorum, & hodiè actu eam ſequuntur pluſquàm 40., & tot Miniſtri Euangelici Catholici Romani, & prima opinio* (prohibens) *necdum habuit decem, qui eam ſequantur, & hi ſoli ſunt ex Religione Prædicatorum &c.*

Cantone 17. Octobris 1695.

Fr. Auguſtinus de S. Paſchali Miſſionarius Apoſtolicus Ord. Min.

Y

Aliud Teſtimoniũ eiuſdem R. P. Fr. à S. Paſchali Ord. Min.

Epiſtola eiuſdem R. P. Fr. Auguſtini à Sancto Paſchali &c. ad Admodum R. P. Fr. Balthaſſarem de Sancta Cruz Dominicanum.

Cantone 17. Octobris 1695.

Epiſtola anno 1695. die 3. Iulij ſcripta &c. Remitto me ad reſponſionem, quam dedi Admod. R. P. Fr. Bartholomæo Marron ſuper ſcripto, quod contra me ſcripſit in *materia tabellarum, Petra Scandali Fr. Auguſtini cũ VV. Paternitatibus*. Si videam clariſſimè Sac. Congregationẽ de Propaganda *in reſponſis datis Patri morales aperire mihi Portam per quam animas Sinenſium in Cælum ducam, debeo ne illam claudere, quia Patres Dominicani contrarium ſequuntur?* Si videam in Regulis, quas eadem Sacra Congregatio dat Vicarijs Apoſtolicis pro his Miſſionibus, doceri viam, qua incendere debeam, & ſinas ad gloriam deducere, debeone illam lapidibus, & luto obſtruere, ne Veſtris Paternitatibus diſpliceam &c.? *Magis approbo Conſilium R. P. Fr. Ioannis de Paz, eò quod videam eius ſcripta fundata in regina virtutum charitate, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti, quæ ſunt animæ &c. crede mihi experto, quòd non omnes quæſtiones, quæ tractantur, ſunt tam fœdæ hic, quàm pinguntur ibi. Atq; ſi in earum conſiderationem intret ſola dulcedo ſynceritatis, & non intrent ſimul proprij noſtri affectus, non iam erit ampliùs tanta earum amaritudo &c.*

Eiuſ-

Eiuſdem R. P. Fr. Auguſtini à Sancto Paſchali reſponſio ad notas factas ab Admod. Reu. P. Fr. Magino Ventallol &c. 22. Nouembris 1695. &c.

Z
AliudTeſtimonium eiuſdem R. P. Fr. Auguſtini à Sancto Paſchali.

Ad puncta, quæ in meo opuſculo notat R.P. Fr. Maginus &c. ſi Veſtra Paternitas, vel alius quiuis arguet, Ego pariter arguam,& ad defendendum *me potero detegere plura in fauorem Societatis, quàm dixerim in opuſculo &c.*

Hæc Epiſtola, cum altera immediatè ſupraſcripta continetur in reſponſo ad ſcriptum P. Fr. Bartholomæi Marron ſuperiùs poſito *ſub litt. X.*

Deſumpta ex praxibus PP. Sancti Franciſci in China factis à P. Fr. Auguſtino de Sancto Paſchali, & à P. Fr. Michaele Flores, cùm eſſet Commiſſarius Miſſionis Pater Fr. Franciſcus de Conceptione.

A A
Teſtimonium ex praxibus PP. Ordinis S. Franciſci.

3. Determinamus, quòd poſſit permitti Chriſtianis Ceremonia, quæ nominatur *Tiao* (in lingua Hiſpanica dar el peſame) tali modo, vt ſolùm offerantur odores, Candelæ, vel argentum pro ſepultura, quæ res, eò quod ſint indifferentes, non arguunt de ſe actionem Religioſam,nec obſtat, *quod ante Menſam,vbi eſt tabella, vel imago Defuncti, vel ante feretrum, vbi eſt eius Corpus, faciant inclinationes, genuflexiones,vel proſtrationes ſecundùm morem Sinicum, nam hæc pariter fiunt erga perſonas viuas, & cum talibus circumſtantijs propoſitum eſt Sacræ Congregationi de Propaganda fide anno 1645., & habitum eſt pro licito.*

4. *Ceremonia ponendi,& offerendi Menſas cum ferculis ante feretrum, vel tabellam*, quam communiter ſolent facere alij, quando aliquis moritur, quia non eſt actio ex natura ſua intrinſecè mala, non arguit ex ſe actum Idoſolatricum, aut ſuperſtitioſum; & dato etiam, quòd ſit Ceremonia fundata in errore gentilitio, nobis videtur poſſe permitti Chriſtianis cum proteſtatione, quod faciant talem Ceremoniam *ad oſtendendum affectum, quem habuerant erga Defunctum, & quòd offerant eas ipſas res, quaſi ſi adhuc viueret*, quin credant, quòd anima veniat, vel poſſit venire, vel comedere has res, quæ proteſtatio modificat, & ſpecificat dictam oblationem in actionem politicam, & aufertur totum id, quod Infideles conceperunt de errore &c.

9. Sacrificium, vel oblatio vocata *Lu Ci*, quæ offertur in Plateis, quando effertur Defunctus ad ſepulturam, non

Digitized by Google

permittimus, vt fiat à Chriſtianis, eò quod ſit actio, quæ difficile poſſit reduci ad finem honeſtum, & pariter, quòd nulla ſit lex, nec conſuetudo obligatoria in China, quæ vllum obliget ad eam faciendam, & ex eius omiſſione nullum ſequitur damnum. Inſuper modò addimus, quod *hoc punctum iam fuerit propoſitum Romæ cum omnibus ſuis circumſtantÿs, & Qualificatores Sancti Officÿ reſponderunt ad hoc, quod ſine proteſtatione publica fidei non eſſet licitum; & ità cũ illa (hoc eſt cum proteſtatione) in caſu obligationis cum aliquo Magnate amico poterit fieri talis Ceremonia*; & ſi Defunctus ſit Chriſtianus, ponendo in Menſa vnam imaginem, vel Crucem cum Candelis, odoribus, & floribus, *eſto quòd etiam apponantur aliqua comeſtibilia*, vbi ſubſiſtit Proceſſio ſepulturæ, & recitant Chriſtiani, etiamſi nulla penitus fiat proteſtatio; poteſt permitti ſine vllo ſcrupulo, nam ipſæ actiones, quæ fiunt, ſufficienter demonſtrant, quòd talis actus fiat in honorem Dei, & obſequium politicum Defuncti. Et hic Cantone id vidimus exhibitũ varijs Miniſtris, qui comitati ſumus funus aliquorum Religioſorum defunctorum, *& remanſimus omnes ædificati de Chriſtianis, qui fecerunt talem Ceremoniam moti ab effectu erga ſuos Patres Spirituales defunctos*.

13. Tabellas permittimus tali modo, vt ante illas non offeratur quidquam, poterunt tamen habere illum locum adornatum *floribus, Vaſe pro odoribus, & Candelis. Et in hoc ſenſu intelligimus reſponſionem Sacræ Congregationis de Propaganda in hoc puncto ad interrogationem, quam fecit R. P. Ioannes Baptiſta Morales anno* 1645., quem modum intelligendi dictam reſponſionem habemus probabilem, vſque dum Sacra Congregatio non declaret contrarium.

14. Sacrificium, vel oblationem, quam bis in anno offerunt ſuis Auis defunctis in Templo, vel extra illud, non permittimus Chriſtianis &c. omnibus his ſuperſtitioſis ſublatis, *poterunt Chriſtiani cum alÿs facere reuerentias, & inclinationes; nam iſtæ iam ſunt indifferentes ad cultum Religioſum, vel Politicum*; & intentio, qua illas faciunt, ſpecificat illas in ratione Politicarum, vel Religioſarum; & cum per proteſtationem, quam fecit Chriſtianus, declarauerit ſuam intentionem, omnes eius inclinationes, & reuerentiæ manent ſpecificatæ in ratione Politicarum, & hoc iudicamus eſſe, quod Sacra Congregatio conceſſit in dicta reſponſione, *poteſt tolerari Sinas, vt ſupra*.

Hanc poſteriorem clauſulam recens addidit R. P. Fr.

Et ſummatim id, quod noſtri Fratres, qui fecerunt hoc ſcriptum, indicant in hac diffuſa declaratione reſponſionis de

Propa-

Propaganda, eſt, *quod poſſint Chriſtiani venerari ſuas tabellas in Chutam* (Aula Defunctorũ) modò non fiat cum Sacrificijs, vel actibus Idololatricis, ſaltem facta proteſtatione fidei, quæ manifeſtet alijs ſuam intentionem rectam, & politicam, ex qua fiunt. Tarrin ViceVicarius anno 1701.

17. Vt eant ad ſepulchra intra annum, permittitur Chriſtianis; ità tamen, vt nihil offerant ipſi *Tu Xin* (ſpiritui terræ) *poterunt tamen facere reuerentiam oſſibus ſuorum Auorum, & ſi fuerit conueniens ad ſatisfaciendum Parentibus Infidelibus, poterunt comburere ibi odores, & Candelas in ſignum beneuolentiæ erga Progenitóres*, nam hæ actiones de ſe non dicunt Religionem, verumtamen ad auferendam vanam perſuaſionem Infidelium, erit neceſſarium facere aliquam proteſtationem, qua declaretur eorum intentio &c.

26. *Ritum dictum Pay, ſeu reuerentiam, quam faciunt Mandarini Confucio, quando accipiunt poſſeſſionem ſui Officij, & primo, ac 15. die cuiuſque Lunæ, ſupponendo, quòd nihil offerant, non contradicimus*, ità tamen, vt fiat proteſtatio coram omnibus Circumſtantibus, quod *reuereantur Confucium, vt Magiſtrum dumtaxat*.

28. Non permittimus Litteratis Chriſtianis, vt exerceant Officium aliquod in Sacrificio, vel oblatione Confucij; non enim eſt lex in Sinis, quæ determinet aſſiſtentiam talium perſonarum in particulari, & ità eſt facile Miniſtro introducere interChriſtianos hoc punctum neceſſarium; & ad obiectionem, quam ſolent facere, quòd ſi omnes Licentiati eſſent Chriſtiani, neceſſarium eſſet, vt adiuuarent aliqui, reſpondetur quòd tali tempore iam erit China in meliori ſtatu, & Eccleſia interim determinabit ſecurè id, quod poterit in tali caſu fieri.

29. *Quando Mandarinus ſecundùm ſuas leges Sinicas obligat Litteratos, vt faciant reuerentiam Confucio, eam poterunt facere cum proteſtatione*, ſicut diximus ſupra *num. 26.* qualis proteſtatio contrahit dictam actionem ad politicam.

Ego infraſcriptus coram Deo teſtor, hæc ſuperiora puncta tribus folijs mea manu ſcripta deſcripta eſſe ex tractatu, cuius titulus erat *Las Praxes eſtablezidas para toda nueſtra Miſſion Seraphica in China*, qui tractatus à *P. Iaymo Tarrin ViceCommiſſario de la Miſſion manu propria* erat ſubſcriptus, & deſcriptus.

Gaſpar Caſtner S. I. Sacerdos.

Quæ tria folia à nobis cum originali collata, & inuenta fideliter conuenire teſtamur Nos infraſcripti.

Carolus Turcottus Societatis Viſitator.
Ioannes Laureatus S. I. Sacerdos.
Ioannes Pacheco S. I. Sacerdos. Locus ✠ Sigilli.

Num. 3.

Declaratio RR. PP. Auguſtinianorum in China Miſſionariorum.

B B

Teſtimonium nomine RR. PP. Auguſtinianorum Miſſonariorum in Sinis datum ab eorum R.P.V. Prouinciali & R. P. Michaele Rubio eiuſdem Ordinis Miſſionario.

Ad Reuerendiſſimum P. Carolum Turcotti &c.

Doleo vehementer controuerſias huius Miſſionis eò deueniſſe &c. vellem ſiquidem maiori auctoritate pollere in præſenti caſu, vt *veritatis*, *&* *innocentiæ partes adiuuarem*, ſed eam, quam habeo, in id libenter impendam.

Viſis ergò, & conſideratis quæſitis à Veſtra Paternitate propoſitis, communicatis etiam *cum R. P. Lectore* Fr. *Michaele Rubio*, *qui decem*, *&* *ſeptem annis in China iam vixit*, & diu noſtræ Miſſioni præfuit, ad ſingula, quid ſentimus, ſincerè reſpondemus.

Ad primum &c. Reſpondemus ergò praxes præfatas circa *cultum Confucij*, *&* *Progenitorum* à Societate diu obſeruatas viſas à Nobis fuiſſe probabiles, ideòq; *eas vſque nunc permittimus*, *permittemuſque* in futurum, ſi aliud Sacra Congregatio non decernat.

Ad ſecundum &c. Reſpondemus conſequenter ad primum, tabellam (Defunctorum) permitti poſſe, vti permiſſa vſq; nunc fuit à PP. Societatis, & *multis aliarum familiarum*.

Ad tertium &c. Reſpondemus, praxes, de quibus ſupra, circa *cultum Confucij*, *&* *Progenitorum non modò permiſſas à Societatis Patribus*, *verùm etiam vniuerſaliter permitti à Patribus* Franciſcanis, an in his fuerit aliquis, qui eas prohibuerit, neſcimus. De alijs familijs nil æquali certitudine poſſumus aſſerere, niſi quòd ex fama deprehendimus, *nonnullos ex PP. Dominicanis praxes eaſdem permittere*.

Ad quartum &c. Reſpondemus, non modo Societatis Patres tenere litteram *Tien*, ſeu Cælum, & litteras *Xam ti*, ſeu Supremus Imperator, aliquando ſignificare Deum verum, ſed etiam *multos Litteratos Sinenſes*, præcipuè Chriſtianos in ſuis libris typis exaratis idem mordicus defendere; *quamobrem non inuenimus rationem, propter quam hæc Sententia à vera probabilitate poſſit excludi, tot auctoribus cum multis rationibus conſpirantibus in eius certitudinem adſtruen-*

ſtruendam. Quòd Sententia aſſerens antiquos ſub *Tien*, & *Xam ti* litteris verum Deum agnouiſſe *valde conducat ad conuincendos Atheos*, non videtur Nobis poſſe in dubium verti, ipſa experientia teſtante.

Ad quintum &c. Reſpondetur *viſam nobis non fuiſſe Idololatricam tabulam King Tien, quæ non ſolùm PP. Societatis, ſed, & aliæ familiæ vſæ ſunt in earum Domibus &c.*

Ad ſextum &c. Reſpondemus. Certum omnino eſſe, nullum cultum habere, nec habuiſſe Tabellam *King tien* præter illum ex omni parte Ciuilem, quo Imperatoris res, & dona à Sinenſibus honorantur &c.

Ad ſeptimum &c. Reſpondemus non poſſe in dubium vocari *declarationem hanc Imperatoris* magnam vim habere, magnamque addere probabilitatem Sententiæ Societatis circa eius praxes; at quanta ſit prædicta vis, à Sancta Sede potius quærendum nobis videtur.

Ad nonum &c. Reſpondemus. *Si facilè ritus*, de quibus controuertitur, *interdici poſſent Neophytis; ad eos euitandos quis contradiceret? de magna eius* (prohibitionis) *difficultate, & periculo minimè dubitatur.*

In horum fidem litteras has dictus P. Fr. Rubio, & ego manu propria ſubſcribimus in hac Vrbe de *Gucheu* die 31. Octobris 1701.

Fr. Thomas Hortiz Vic. Prouincialis.

Fr. Michael Rubio.

Plura Teſtimonia, quæ habentur ex Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Aſcalonenſi P. Fr. Aluaro Beneuente pariter Auguſtiniano, iam poſita ſunt in hoc Summario *Num.* 1. à litt. C vſque ad litt. M incluſiuè.

Num. 4.

Teſtimonia RR.PP. Dominicanorum.

Reſponſa manuſcripta Reu. P. Fr. Ioannis de Paz Dominicani ad quæſita Miſſionariorum Sinenſium.

CC

Teſtimonium R. P. Fr. Ioannis de Paz.

Hæc reſponſa aſſeruabantur Cantone deſcripta in charta Sinica antiqua, & eadem doctrina inuenitur in Opuſculo eiuſdem Reu. P. Fr. Io. de Paz impreſſo Manilæ.

Admodum Reu. P. Regens, & Vicarie
Fr. Ioannes de Paz &c.

Quæro primo. Suppoſitis notitijs, quas V. R. habet de ſcriptis PP. Miniſtrorum Chinæ &c. Ad Quæſita *P. Polanco, & P. Nauarrete.*

Reſponderunt Conſultores (Romani) ſuperſtitioſas eſſe tabellas: *quia prior* (P. Polancus) *propoſuit quòd eſſet error communis Chinæ, animas defunctorum aſſiſtere tabellæ ad recipienda Sacrificia, quæ ipſis offeruntur*. Poſterior verò (P. Na-

In reſponſione ad primum pag. 4. PP. Polanco, & Nauarrete malè informarunt S. Sedem.

(P. Nauarrete) dixerat in dubio ad Confucium ſpectante, *eſſe communem errorem illius gentis*, *quòd anima Confucij veniat in tabellam ad Sacrificia recipienda*. Vnde cùm eadem ratio valeret de tabellis aliorum defunctorum, cunctas pro illicitis perinde habuerunt. At *cùm Literati* (Sinenſes) *dixerint hunc errorem non eſſe communem*, *ſed eſſe ſolùm gentis ignorantis*, *permitti omnibus poteſt*, *vt tabellas habeant &c.*

Difficultas hic propoſita P. Ioanni de Paz à P. Andrea Lopez cõtinet multiplex teſtimonium huius Miſſionarij Sinici ex Ord. S. Dominici.

Prima difficultas propoſita à P. Fr. Andrea Lopez Miſſionario Regni Sinenſis.

Deſiderium quod nos Miniſtri Sancti Euangelij habemus
,, facilem reddendi viam Cœli his Chriſtianis Sinenſi-
,, bus &c.

Hoc anno poſſibile non fuit, quatuor Chriſtianis, qui ſimul
,, cum duobus Infidelibus acceperunt in hac Ditione de
,, *Fo Gan* gradum Licentiati, inuenire vllam ex vijs, quas
,, olim, quando erant graduandi 20., aut 30. ſimul inue-
,, niebant, vt liberarent ſe à reuerentia Confucio facienda.
Hanc iſti fecerunt proteſtando ſe in illo non agnoſcere
poteſtatem ad adiuuandum, *nec quòd eius anima præ-*
,, *ſens adeſſet*, *ſed ſolùm ſe illum venerari tanquam Magi-*
,, *ſtrum*.

Magnopere expetitur Gradus Licentiati in China, adeò vt
,, ſpes illius conſequendi Sinas impellat, ad inſumendos li-
,, benter totius vitæ labores propter moleſtias, à quibus ſe,
,, & alios liberant poſt eius conſecutionem, *cùm ergò Mini-*
,, *ſtri videant*, *quàm ſit difficile*, *vt Litterati reſoluant ſe ad*
,, *Nuntium illi gradui remittendum*, *potiùs quàm ad omitten-*
,, *dam talem reuerentiam*, & aliunde ſciant illam à PP. So-
,, cietatis permitti ſuis Chriſtianis, ex quibus, vt nobis vide-
,, tur, ad noſtros peruenit notitia proteſtationis, *deſiderare-*
,, *mus*, vt eſſet modus, quo permitti poſſet tanquam licita
,, talis reuerentia.

In quinto reſponſo, quod *V. R. miſit ad P. Fr. Arcadium*, *aſ-*
,, *ſerit illam eſſe licitam*, nihilominus cum dictus Pater ſit
,, valdè ſuccinctus in ſua propoſitione, dubitatur, vtrum po-
,, ſitis omnibus circumſtantijs, quæ ad illam reuerentiam
,, concurrunt, valere poſſit eadem reſolutio &c.

Pag. 10. Ad iſtam difficultatem *cum omnibus circumſtantijs*, *cum quibus nunc proponitur*, *reſpondeo*, *eos*, *qui graduantur in China*, *poſſe licitè ire ad faciendam Confucio reuerentiam*, *de qua agitur*. *Ratio eſt*, *quia hæc reuerentia eſt politica*, *neque circumſtantiæ relatæ illam extrahunt ex terminis Politicæ*.

Dico

Digitized by Google

Dico primo: *Me habere pro certo, Confucium non eſſe receptum in China pro Idolo, neque illi attribui à Communitate Deitatem, aut poteſtatem humana Superiorem*. Id quod probari poſſet pluribus rationibus, & coniecturis, ex quibus hic aliquas afferam. Prima eſt id ipſum, quod refertur in Quæſito, nimirum quòd dicant *PP. Antiqui noſtræ Miſſionis* Chriſtianum, qui non facit reuerentiam ſolitam Confucio, *non haberi ab Infidelibus pro irreligioſo, aut infideli erga ſuam Sectam, ſed ſolùm pro ingrato.* Secunda eſt id, *quod dicunt ijdem Patres*, nempe quòd Infideles audita proteſtatione, quam faciunt Chriſtiani ad faciendam reuerentiam Confucio, iudicant Chriſtianos nullam attribuere poteſtatem Confucio, nec illum in tabella aſſiſtere, nec recipere Sacrificia, nec poſſe quidquam ab illo peti. Tertia eſt, quod referunt aliqui Patres *noſtræ Religionis, qui fuerunt in iſta Miſſione China*, videlicet, quòd cùm aliquis Chriſtianus feciſſet illam proteſtationem coram multis Infidelibus, riſerunt illi, dicendo: *Ecquis Confucium pro Deo habet, aut iudicat illum habere aliquam poteſtatem ad nos iuuandos? Homo fuit ille, ſicut nos, atque eum veneramur tanquam Magiſtrum propter bonam doctrinam, quam nobis reliquit.* Si in China foret communis exiſtimatio, quod Confucius Diuinitatem habeat, aut poteſtatem humanâ Superiorem ad eos iuuandos, non poſſet non oriri perturbatio in gentilium animis audita tali Chriſtianorum proteſtatione, ac ſine dubio indignarentur, & commouerentur aduerſus eum, qui palàm negaſſet Confucio diuinitatem, aut poteſtatem, qualem eidem Gentilitias attribueret, quemadmodum contigit in Vrbe Epheſo, vbi cùm audijſſent Gentiles Sanctum Paulum docentem non eſſe vera Numina, quæ illi venerabantur, *commota fuerit tota Ciuitas* (Act. 19.) *repleti ſunt ira, & exclamauerunt dicentes: Magna Diana Epheſinorum &c.* ſi Gentiles Sinæ haberent pro Deo confucium, aut *ab illo ſperarent bonum aliquod, vel fauorem*, credibile non eſt, quòd cum tanta patientia audirent negari illi omnem diuinitatem, & poteſtatem &c.

Similia habentur in Opuſculo eiuſdem citando inferiùs litt. D D

Aliunde cōſtat ante aliquot annos in Prouinc. *HuQuam* Gubernatorem Vrbis *ChamXaFu* iuſſiſſe vapulare, viginti ictibus Bonzium vnum propterea quòd Imaginem Confucij in quodam fano poſuiſſet exprobtando illi, quòd Magiſtrum ſuum haberet tanquam vnū ex *PuSa*, hoc eſt ex Idolis.

In hoc Conuentu Sancti Dominici Manilenſi 23. Octobris 1679.

Fr. Io: de Paz &c.

Opuſ-

DD
Aliud teſtimonium eiuſdem Reu. P. Fr. Ioannis de Paz Dominicani.

Opuſculum, in quo ducenta, & ſeptuaginta quatuor Quæſita &c. totidemque Reſponſiones ad ipſa continentur expeditæ per Adm. R.P.Fr.Ioannem de Paz &c.

Edit in lucem P. Fr. Franciſcus de Acuña eiuſdem Ordinis, Auctoriſque addictiſſimus filius, atque Diſcipulus, & ſui Magiſtri nomine Reuerendiſs. P.N.Fr.Antonio de Mon Roy totius prædicti Ordinis Magiſtro Generali &c. Humiilimus offert.

Quæſita. §. 11. De Cæremonijs in honorem defunctorum. Solent Annamitæ Gentiles ſuos parentes defunctos ſingulari cultu venerari &c.

Pag. 83. Finis tot, tantarumque Cæremoniarum eſt *honor parentibus defunctis exhibendus, & grati erga eos animi teſtificatio:* & rationem verò reddere eorum omnium, quæ fiunt, nec ipſi peritiores Ethnici queunt; multi enim nec animas humanas Spirituales eſſe; aut immortales putant; *fere omnes fatentur, animas defunctorum cibis oblatis veſci non poſſe.* Tantis tamen ſunt inuoluti tenebris, vt in illis ſuis cæremonijs ſic omnia peragant, & loquantur, quaſi perſuaſum haberent, ſuorum defunctorum animas ibi præſentes adeſſe, rebus oblatis frui, & veſci, & re vera non deſunt inter rudiores, qui id ità eſſe certò ſibi perſuadeant &c.

Pag. 84. Si verò etiam Edulia præparentur, non *alio fine fit*, niſi vt Conciues in memoriam, & honorem defuncti, congregati ſimul epulentur: Verumtamen dici poteſt, talia edulia offerri etiam in honorem defuncti, quià ſi hoc etiàm non intenderent, ad quid deſeruit præparatio eduliorum coram defuncto &c.

Pag. 96. Ad ſeptimum reſpondetur: *attendendam eſſe communem opinionem gentilium, præſertim peritorum, vel minùs ruſticorum* erga defunctorum tabellas. Si enim hæc ſolùm in tabellis recognoſcat præſentiam defuncti, vel eius animæ ibi repræſentatæ, ſicut repræſentaretur in imagine, tunc nulla eſſet ſuperſtitio tabellam venerari, ante illam proſterni, & eiulare, ac illam pileo, veſte pretioſa, ac alijs ornamentis honeſtare. Hæc enim prædicta ſuppoſitione facta, politica ſunt, nihil aliud exprimentia, quàm dolorem mortis parentum, ac honorem eis exhibitum ratione generationis, & procreationis &c.

Pag. 97. *in fine.* *Exiſtimo Gentilium opinionem eſſe, animas in tabellis realitèr & non adeſſe*; vel ſaltem diſcordes eſſe; quia ſi multi ex Infidelibus ſibi perſuaſum habent animas humanas non eſſe Spiri-

Digitized by Google

Spirituales, neque immortales, quomodo aſſerent eas in Tabellis poſt mortem corporis perpetuò reſidere?

Et §. 20. Ad primum reſpondetur &c. *At certum exiſtimo, & quòd in Regno TumKini Confucius non colitur vt Deus communi Gentilium acceptatione*. Hanc aſſertionem colligo ex eo, quòd *in Regno China*, in quo floruit Confucius, eiuſq; doctrina in maiori fuit, ac eſt veneratione, & ex quo ad TumKinum Regnum, aliaſque vicinas Prouincias emanauit, *non attribuitur Confucio Diuinitas, aut poteſtas aliqua Superior communi hominum ibi habitantium exiſtimatione. Hoc mihi conſtat ex varijs relationibus Religioſorum noſtri Ordinis, in Regno China aſſiſtentium &c.* Pag. 198.

Datum in Conuentu S. P. N. Dominici Manilenſi die 22. Martij Anni Domini 1680. Pag. 218.

Fr. Ioannes de Paz.

Vidit Auctor hoc Opuſculum, & fideliter eſſe impreſſum aſſeruit, ac correctioni S. M. E. ſubiecit. Impreſſum Manilæ anno Domini 1680. cum licentia *R. P. Fr. Balthaſſaris de Sancta Cruz Commiſſarij Sancti Officij, ac Prioris Prouincialis Prouinciæ Sanctiſſimi Roſarij Philippinarum, & approbationibus RR.PP.Rectoris, & Lectoris Theologiæ primarij Manilenſis Collegij, atque Vniuerſitatis S. Thomæ Aquinatis cum licentia etiam Ordinarij*, ac tandem D. Gubernatoris harum Inſularum, & approbationibus, quæ in huius Opuſculi principio reperientur per Gaſparem de los Reyes Typographum librorum dicti Collegij, atque Vniuerſitatis.

De mandato Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D.M.D. Fr. Philippi Pardo (ex Ordine Sancti Dominici) Metropolitanæ huius Eccleſiæ Archipræſulis legi Opuſculum hoc &c. & nihil in eo cenſura dignum inuenio, nil ſanæ Doctrinæ diſſonum &c. Approbatio in principio Libri poſita.

D. D. Franciſcus Pizarro de Orellana.

Ad M. RR. PP. Prouincialem, & Definitores Capituli Prouincialis Prouinciæ SS. Roſarij Philippinarum Ordinis Prædicatorum minor filius Fr. Dominicus Maria de Sancto Petro.

EE

Teſtimonium R. P. Fr. Dominici Mariæ de Sancto Petro, ſeu Sarpetri Ord. Sancti Dominici.

Admodum Reuerendi Patres.

Cum huc vſque fuerit clauſa via ad Manilam, & non habuerim commoditatem, nec ſpem ſecuram &c. Id ipſum videtur, quod *ſuppoſuerit P. Fr. Carolus Clemens Gant* in aliquibus epiſtolis, quas in ordine ad dictam vniformitatem ſcripſit

Habetur hæc epiſtola ante tractatum manuſcriptum eiuſdem allatum ex Archiuio Macaenſi deſcriptum in charta Sinica antiqua.

ſcripſit tempore, quo fuit Prouincialis huius noſtræ Prouinciæ, ad Patres Societatis Macaenſes, quarum originalia adhuc ſeruantur in Archiuio Patrum, *& P. Fr. Franciſcus de Paula commendando nobis, vt nos conformaremus cum illis, quæ Roma attulerat P. Martinius, & etiam P. Fr. Philippus Pardo, qui nobis mandauit, ne ſcriberemus aliquid contrarium his, quæ ſcripſere in ſuis libris Sinicis Patres Societatis. Cùm ergò res tam clara ſit, & pro comperto habita à tribus PP. Prouincialibus noſtræ Prouinciæ*, non mihi videtur eſſe neceſſarium, afferre plures rationes ad iuſtificationem meæ Sententiæ &c.

Extat tractatus impreſſus eiuſd. R. P. Fr. Dominici Sarpetri ex eodem Ordine Sancti Dominici, in quo veritas facti expoſiti in Decreto ALEXANDRI Septimi ex profeſſo probatur.

Extat item Tractatus impreſſus Illuſtriſſimi Domini Fr. Gregorij Lopez natione Sinæ ex eodem Ordine Sancti Dominici Epiſcopi NanKinenſis, idemque approbatus ab Illuſtriſſimo D. Fr. Ioanne Franciſco Leoniſſa tunc eius Vicario Generali, ad eandem veritatem comprobandam.

Impreſſa etiàm ſunt Acta Conuentus Cantonienſis, *quibus ipſemet R. P. Fr. Nauarrete manu propria ſubſcripſit*, tanquam ſuorum Ordinis S. Dominici Miſſionariorum Sinenſium Præſes, *habeturque Romæ ipſum originale manu propria eiuſdem Nauarrete ſubſcriptum*.

Num. 5.

Teſtimonia DD. Clericorum Miſſionis Sinenſis.

Domini Ludouici de Cicè
Epiſtola ad Adm. R. P. Carolum Turcotti S. I.
Miſſionarium Apoſtolicum &c.

F F
Teſtimoniū D. Ludouici de Cicè.

Quando huius Prouinciæ (Cantonienſis) Prouicariatu ceſſi, Reuerendiſſimo Domino Carolo Maygrot clarè, & diſtinctè ſignificaui, ea me conditione cedere, *vt mihi liberum eſſet circa factam ab ipſo anno 1693. ſuper quæſtionibus in hoc Regno agitatis declarationem*, & Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Epiſcopi Macaenſis Iuriſdictionem agere *quidquid in Domino meliùs mihi videretur &c.*

R. V.

Die prima Nouembris.

Humillimus, & Obſequentiſs. in Chriſto Seruus
Ludouicus de Cicè.

Extat ſub finem Actorum Cantonienſium pag. 93. impreſſa epiſtola Domini Ludouici de Cicè ſupradicti Pariſijs ſcripta die 24. Octobris 1698., in qua expreſsè dicit, ſe dum

in

in Sinis verſaretur ſecutum eſſe Sententiam,& praxim Societatis circa Ritus controuerſos.

De eodem D. Ludouico de Cicè item teſtatur Illuſtriſſimus Andreuillenſis in epiſtola ad R. D. Ioannem Baſſet ſcripta die 31. Ianuarij 1698. Vide ſuperiùs in hoc *Summ.Num.* 1. *ſub litt. O.*

Extractum ex Epiſtola Domini de Courtaulin antiqui Vicarij Generalis Cochincinnæ ſcripta ad P. le Gobien S. I. Toloſæ 15. Nouembris 1702.

G G
Teſtimonium D. de Courtaulin antiqui Vicarij Generalis Cochincinnæ.

Originale extat Pariſijs in manibus P. Le Gobien.

Quantùm attinet ad ſuperſtitionem Cæremoniarum, quæ tantos ſtrepitus mouent, ego ſemper vixi inter Sinenſes in Cochincinna, Siamo, & Batauiæ; ego aſſiſtebam ſæpiùs iuxta mandata Domini Beritenſis, eum in finem, vt cognoſcerem veritatem, & darem meam Informationem Eminentiſſimis Cardinalibus. Ego illis iam feci vnam relationem fidelem, & concluſi, quòd *non poſſent condemnari genuflexiones, inclinationes, & proſtrationes ante corpora defunctorum, & in eorum anniuerſarijs, vel etiam Confucij, eò quòd non ſit in illis ſuperſtitio vlla*. Quantùm ad conſtructionem Altaris ego illis repræſentaui eo modo deſcriptum, ſicut vidi in anniuerſario Præfecti Generalis exercituum vltimi Imperatoris Sinenſis, qui in Siamum confugerat, in quo ego præſens fui, ſicut & in alijs multis, ſed quidquid de hoc Altari iudicent, *non aliud prætendunt illi, qui faciunt has inclinationes, & proſtrationes, niſi vt honorent defunctos ijſdem ipſiſmet Cæremonijs, quas illis faciebant, dum adhuc viuerent, quod attinet ad Carnes, & Porcum &c. ego nullam ibi vidi vnquam ſuperſtitionem*, niſi ſuperſtitionem velis dicere bonum appetitum,quo comedebant. Mihi ſæpiſſimè offerebatur Porcus; quem protinus coqui faciebant in mea præſentia, & ego de illo manducabam ſine vllo ſcrupulo &c.

Ex Tractatu compoſito à P. Kiliano Stumpf S. I. Miſſionario, abſoluto Pekini menſe Nouembris 1701. pag. y. facie 1.

H H
Teſtimonium de facto Illuſtriſſimi Domini Maygro: Epiſcopi Cononenſis.

Factum Illuſtriſſimi D. Maygrot.

Illuſtriſſimus D. Maygrot Epiſcopus Cononenſis, huiuſque Prouinciæ Vicarius Apoſtolicus, in hàc Metropoli *Fo Cheu fù* anno 1699. menſe Nouembri, die, vt aiunt, 25. ad

Digitized by Google

Mandarino nomine *Chi guei Chim*, 17. eiuſdem Nouembris vitâ functo, iuſta perſoluenda, ex vrbanitate mera ſe contulit: *Aulam ingreſſus ante prædicti Mandarini effigiem, quæ ante ferttrum ſupra menſam in Altaris ſimilitudinem cum frontali, ſiuè antipendio, cum Candelabris, & Cereis, cum floribus, odoramentiſque de more exornata dependebat, funebri indutus amictu, Candelas, & odorarios de more paxillos, qui hic loco thuris adolentur, venerabundus obtulit, deinde ad menſæ latus aliquantulum deflectens, quater genuflexit, totoque corpore ad terram vſque procumbens ſolum capite quater feriit, nullaque facta proteſtatione diſceſſit.*

Factum hoc certum, atque euidens eſt, quod vel Illuſtriſſimus Dominus de ſe vltrò fatetur, ac ſe feciſſe faſſus eſt coram Neophytis 18. Aprilis, *addens Cultum hunc merè ciuilem eſſe*, nullamque in eo ſuperſtitionis vmbram reſidere, contra id, quod PP. Dominicani intendunt, ſuperſtitioſum, & idolatricum eſſe &c.

Quod etiam factum habetur in libro gallicè impreſſo ſub titulo *Reſponſe aux Nouucaux Ecrits des Meſſieurs des Meſſions Etrangeres contreles Ieſuites &c.* 1702.

II Aliud Teſtimonium de alio facto eiuſdem Illuſtriſſimi D. Maygrot.

Nos infraſcripti teſtamur 5. Ianuarij anni præſentis 1702. Cantone in Eccleſia Societatis R. P. Didacum à S. Roſa Ordinis Sancti Franciſci qui ante paucos dies de Ciuitate *Ciam lo* Prouinciæ Fokien aduenerat, coràm nobis aſſeruiſſe, præterito anno, cùm in dictæ Ciuitatis Miſſione dictus R. P. aſſiſteret, Illuſtriſſimum Dominum Maygrot dictam Eccleſiam viſitaſſe, *& pluribus ibi Sanctum Confirmationis Sacramentum adminiſtraſſe, atque hos inter ſedecim Baccalaureis, & vni Licentiato, ſeu Kiugin, dicto Kieu, illi ipſi, qui paucis annis antè in defenſionem praxium Societatis librum Sinicum conſcripſerat*, cùm tamen notorium ſit, dictos Chriſtianos fuiſſe quondam Patrum Societatis, & ea, quæ Societas circa cultum Progenitorum, & Confucij, vt licita permittit, *& ſecutos eſſe, & ſequi* etiam nunc, quin in hoc, vel iudicium ſuum, *vel praxim mutarint*: Ità coram Deo teſtamur. Cantone 6. Ianuarij 1702.

Ioannes Laureatus S. I. Sacerdos.
Caſparus Caſtner S. I. Sacerdos.

Ego infraſcriptus S. I. Sinarum, & Iaponiæ Viſitator teſtor, me hoc noſtrorum PP. Societatis noſtræ Sacerdotum, & Profeſſorum Teſtimonium autenticè accepiſſe: In quorum fidem

fidem manu propria ſubſcribo, addito Officij mei ſigillo. Cantone 6. Ianuarij 1702.

Carolus Turcotti S. I. Viſitator.

Locus ✠ ſigilli.

Scriptum R. D. Philiberti Le Blanc Vicarij Apoſtolici Provinciæ Iunnan, & Provicarij D. Cononenſis ad P. Ioannem Paulum Gozani S. I. Superiorem in Focheu.

KK Licentia à Reu. D. Philiberto LeBlanc nomine Illuſtriſſimi D. Maygrot data P. Io: Paulo Gozani S. I. ſuper exercitio Miſſionum &c.

Admodum R. P. Ioannes Paule Gozani &c. nomine Illuſtriſſimi Domini Caroli Maygrot Epiſcopi Cononenſis, & Vicarij Apoſtolici de Fokien, ſecundùm poteſtatem, quam ſua Illuſtriſſima Dominatio mihi communicauit, *do per hanc Reu. Veſtræ, & omnibus Patribus Societatis omnem poteſtatem Miſſionariorum ſinè reſtrictione vlla*. Verumtamen proteſtando ex parte ipſiuſmet Domini Epiſcopi Cononenſis, quòd id ſolùm faciat ad euitanda grandia ſcandala, ſimilia ijs, quæ contigerunt. Deus cuſtodiat Reu. Veſtram in multos annos. Hing Hoa Maij 15. anni 1700.

V. Reuerentiæ

Humillimus Seruus

Philibertus Le Blanc &c.

Suis ſunt Originalibus conformia.

Ioannes Paulus Gozanus è S. I.
Claudius Viſdelou S. I.
Ioſephus Pereira eiuſdem S. I.

Locus ✠ ſigilli.

Hoc Teſtimonium mihi ſubmiſſum eſt à P. Ioanne Gozano tum Superiore Reſidentiæ Focheu.

Carolus Turcottus S. I. Viſitator.

LL Teſtimonium de facto Illuſtriſſimi D. de Lionne ex tractatu P. Kiliani Stumpf citati in hoc Summ. litt. HH. & in eodem tractatu pag. G. fol. vlt.

Illuſtriſſimi Domini Cononenſis DD. Confratres iam ab aliquot annis in China ſibi aſſumpſerunt titulum *Tien bio Su Cæli, vel Cæleſtis Doctrinæ Doctores*, id quod palam fecerunt omnibus, nam cùm more gentis domo prodeuntes laternas ſibi præferri curarent, in quibus laternarum Domini qualitas, & dignitas, litteris inſcriptis exprimitur; illi dictum titulum inſcribentes *ſe omnibus doctrinæ Cæli Magiſtros*

gistros professi ſunt, vbi utique (Cœli) Dei (Cœleſtis) Diuinæ intelligi voluerunt.

Luculenter magis hunc titulum publicauit Illuſtriſſimus D. Roſalienſis, qui cùm fundare niteretur Eccleſiam nouam in Prouincia *Chekiam*, 1698. Pro-Regi libellum ſupplicem obtulit, *in quo ſe diſertè eodem modo vocat Tien hio Su, Cœli doctrinæ Doctorem. Is libellus à Prorege miſſus in Curiam ad Tribunal Rituum nobis eſt Communicatus, & in Archiuio ſeruatur &c.*

Idem habetur in libro gallicè impreſſo ſub titulo *Reſponſe aux Noueeaux Ecrits de Meſſieurs &c.* aliàs citato ſub litt.HH. in fine.

Plura de DD. Clericis habentur ſuperiùs in Teſtimonio R.P. Fr. à Sancto Paſchali litt.T., & inferiùs in Teſtimonijs PP. Societatis litt.OO.

Num.6.
Teſtimonia PP. Societatis Ieſu.
MM
Teſtimonium P.Chiliani Stumpf. S. I. Pag. Q. fol. vlt. Vide ſuperiùs litt.S

P. Chilianus Stumpf ex Aula Regia Pekini in tractatu ſuo ſuprà citato ſub litt.HH.

Eſt mihi in certo Regio opere Collega nomine *Tim Que*, in Prouinoia *Xan tum*, Magiſtratum optimè gerentem ità Populus honorauit, vt illi Templum alterum in Ciuitate *Ten Cheu fu*, alterum in *Kin Fù* ante annos octo ædificauerit, neque tamen ille ſemetipſum ſupra nos ad Deitatem accedere exiſtimat, neque nos ipſum aliter, quàm alios eiuſdem Ordinis Mandarinos colimus. *Cùm talia Templa nihil ſint, niſi virtutis in homine trophæa, quæ Populi gratitudinem, & regiminis rectam adminiſtrationem in gerentibus Magiſtratum commendent.* Atque idem ergà Confucium obſeruari ſuprà ex Imperatore, & Litteratorum primiſoſtenſum fuit,

NN
Teſtimonium P.Caroli Amiani S.I.

Ex Epiſtola P. Caroli Amiani S. I. Miſſionarij in China data ad P. Caſparum Caſtner in Cancheu ſù 12. Nouembris 1701.

Quoad Quæſita &c.

Sed quoad hæc iam non videtur opus eſſe longa diſcuſſione, neque multis probationibus, quandoquidem audiui aliquos RR.PP. Sancti Franciſci, referentes, ſe multa loquutos fuiſſe quoàd hæc puncta cum ijs, qui erant contrariæ opinionis, & agnouiſſe, quòd ij omnes manus dent, & iam nobiſcum ſentiant, accedantque ad noſtras Societatis opiniones poſito nouo Decreto Imperatoris &c.

Similia narrantur à R. P. Fr. Io: Bonauentura de Roma Franciſcano in hoc Summ. nu.2. litt.R.

Atque hic non videtur omittendum, quod poſtea mihi narratum eſt ab alijs etiam fide dignis. Poſtquam peruenit in Pro-

Prouinciam Fokien nouum Decretum Imperatoris, volebant Chriſtiani adire D. Maygrotium, vt illud ei oſtenderent: attamen P. Gozanus, qui hoc præſciuerat, timens, ne oriretur aliqua noua perturbatio, ſtrenuè hortatus eſt, vt ſuperſederent, dicens eis, *Imperatorem determinaſſe quid facti, attamen quid Iuris debere determinari à Summo Pontifice, adeoque adhuc debere expectari definitionem Sanctæ Sedis &c.*

Epiſtola P. Io: Pauli Gozani S. I. Scripta ad P. Franciſcum Noel &c. Nanchini 28. *Nouembris* 1701.

OO Teſtimonium P. Ioannis Pauli Gozani S. I.

Reu. Pater. Velit Reu. Veſtra offerre Suæ Sanctitati, Sac. Congregationi, & noſtro Admodum Reu. P. Generali ſequentes notitias ad ſuccurrendum *veritati, & Iuſtitiæ contra falſitates expoſitas Suæ Sanctitati, & Sacræ Congregationi.*

Primò. Contra *manifeſtam falſitatem* Romæ expoſitam, & libris impreſſam, ſcilicet quod *omnes DD. Vicarij Apoſtolici, & RR. Miſſionarij externi reprobarint, & de medio ſuſtulerint ritus, & conſuetudines ſinicas à Societate noſtra permiſſas*, & quod negarint Sacramenta Chriſtianis praxim noſtram ſequentibus. Secundùm notitiam, quam habeo de Fokien, vbi moratus ſum ſeptem annos, ſcio D. Cononenſem in *Focheu*, vbi ego plerumque morabar, ſemper admiſiſſe ad Sacramenta illos Chriſtianos, qui omnes praxim noſtram ſequebantur. Id ipſum fecit Dominus de Roſalia; Dictus Dominus Cononenſis 25. Nouembris anni 1699. iuit ad faciendam Ceremoniam *Tiao* Defuncto *Chi fù* (Gubernatori) illius Metropolis appellato *Chi guei Chim*; & 25. Decembris eiuſdem anni ſuas tres Miſſas celebrauit in noſtra Eccleſia de *Ien pim*, non obſtante inſcriptione *King Tien*, quam Illuſtriſſimus Dominus non ignorabat ibi eſſe expoſitam. Et Martio ſequentis anni conſecratus eſt Epiſcopus in *Kia him fu* coram eodem titulo *King Tien*. In Oratorio Bacchalaurei *Li So Leam* dicti, *& ſiam cum* (domeſtici Litterati) prædicti Domini Cononenſis, quò ſolet ire prædictus Dominus ad Miſſam celebrandam, & Sacramenta aliquibus fœminis Neophytis adminiſtranda, anno præterito ego vidi expoſitas Imagines eius Patris, & Matris, & alterius Conſanguinei defuncti. Eſt notorium, & publicum, quod D. Le Blanc (nunc Vicarius Apoſtolicus de Iunnan) Sacramenta in *Him hoa fu* ſemper Chriſtianis adminiſtrauit, qui omnes noſtram praxim

Idem narratur ſuperiùs ſub litt. HH.

Digitized by Google

ſequuntur, & baptizauit Neophytos, quin illis mentionem vllam de Auis, vel Confucio faceret &c.

Quoad PP. Dominicanos: Illi (excepto vno, qui in *Che Kiam* morabatur cum paucis admodum Chriſtianis, adeo vt anno 1695. P. Fr. Saluator de Sancto Thoma, qui tunc erat in *Focheu*, menſe Aprili loquendo mihi de P. Fr. Alcala, qui eo ipſo menſe ad ſuam Ciuitatem *Lan Ki* in Prouincia Chekiam exiſtentem diſceſſerat, mihi iſta verba dixerit: *P. Fr. Alcala vadit, vt faciat Officium Ianitoris ſua Eccleſiæ*) *omnes morantur in Fokien, & quaſi omnes ſe in praxi conformarunt opinioni Societatis*. Videtur id in tractatibus R. P. Fr. Auguſtini de Sancto Paſchali, ſcilicet in opuſculo difficultate 5. num. 85. in reſponſione ad P. Fr. Marron num. 17. 18. 20. 80. 94., & in reſponſione ad notas P. Fr. Magini §. 2. De alio Chriſtiano *V Luca*, qui à PP. Dominicanis in *Lo Tuen* receptus inter Tertiarios Ordinis, poſt ſuam mortem, quæ contigit menſe Decembri anni 1695. in *Lien Kiam bien*, *Scio inuentas apud illum fuiſſe Tabellas ſuorum Progenitorum, quas conſeruauerat*, & ego in facti huius Teſtimonium illas aſſeruaui in *Focheu*, *vbi etiam nunc ſunt*.

Videatur ſuperiùs in hoc Summ. nu. 2. ſub litt. T.

Duæ Chriſtianitates PP. Franciſcanorum, quæ numerum aliquem habent Chriſtianorum (reliquæ enim paucos admodum Chriſtianos habent) in Fokien ſunt illæ de *Ciam lo bien*, & *Kien nim bien* (ambæ iſtæ priùs erant Patrum Societatis &c.) In ambabus his Chriſtianitatibus P. Fr. Lucas Thomas voluit executioni mandare Decretum D. Maygrot, ſed id illi non ſucceſſit; & demum cùm videret Chriſtianos ipſi morem non gerere, quia aliud non poterat, *ſeſe accomodauit, & omnibus ſinè diſtinctione Sacramenta adminiſtrauit*, ſicuti dixerunt mihi vnanimiter Chriſtiani dictorum Oppidorum. Cùm ego eſſem in *Ten pim*, Bacchalaurei de *Ciamlobien*, qui ob examina in illa Ciuitate verſabantur, omnes valde improbabant in R. P. Fr. Luca Thoma. Primo incohærentiam in eo, quòd permitteret litteras Tabellæ ſcriptas in charta, non autem ſculptas, aut ſcriptas in ligno, illum arguendo, *quòd vel in vtroque loco, vel in neutro eſſent ſuperſtitioſæ &c.* P. Franciſcanus, qui modò moratur in *Kien nim bien* nomine ſinico appellatus *Lo* (Europæum eius nomen neſcio) eſt admodum acceptus Chriſtianis, contrà quam fuerit P. Fr. Lucas Thomas, quia illis moleſtus non eſt circa executionem Decreti Domini Cononenſis, nec mentionem de Tabellis, & Auis, aut Confucio facit, *& omnibus Sacramenta*

menta adminiſtrat, permittendo illis, vt vniuerſalem Chinæ praxim ſequantur, quæ eſt illa, quam obſeruant Patres Societatis. Id ipſum ſuccedit in *Ciam lo hien*, vbi verſatur alius P. Franciſcanus ſinicè appellatus *Hoa* (nam nec illius nomen Europæum ſcio)

De PP. *Dominicanis ſcio*, quòd adhuc etiam poſt Decretum D. Cononenſis, in *Focheu*, & in alijs Chriſtianitatibus Sacramenta adminiſtrauerint Chriſtianis, *qui noſtram praxim ſequebantur, & nominatim PP. Fr. Saluator de Sancto Thoma, Fr. Petrus de Alcala, nunc Vicarius Apoſtolicus de Che Kiam, Fr. Thomas Croquer &c.*

Secundo. Dominus Maygrot, qui in expoſitione ſui Decreti tantam ſinceritatem profitetur &c. tamen ad ſuam Sanctitatem, & Sac. Congregationem, ſolùm paucas aliquas litteras miſit, quæ erant in ipſius fauorem; *at neque miſit Epiſtolam, quam P. Fr. Maginus Ventallol* (Dominicanus) *ex Cham Cheu ad ipſum ſcripſit, improbans ipſius Decretum propter circumſtantias temporis*, in quibus ſcilicet PP. Societatis, cùm eius Iuriſdictionem negarent, dictum Decretum pro inualido habebant: Vnde fiebat, vt tale Decretum ad nihil aliud conduceret, quàm ad Neophytos magis perturbandos &c. *non miſit Epiſtolam, neque opuſculum P. Fr. à Sancto Paſchali*, & tamen certum eſt, illum hæc in ſuis manibus habuiſſe, ac præſertim illam Epiſtolam priùs recepit, quàm Decretum ſuum Romam mitteret, vti conſtat ex Epiſtola D. Abbatis de Lionne nunc Epiſcopi de Roſalia Vicarij Apoſtolici de *Suchuen* ſcripta ad P. Fr. Auguſtinum à Sancto Paſchali, prout legi poteſt in reſponſione prædicti Patris ad dictum D. Abbatem.

D. Maygrot in Epiſtola ad Summum Pontificem ſic ait; Vtriuſque Sententiæ fundamenta i-à candidè, & ſincerè exponam, vt pro magno piaculo haberem, vel minimum quid ſciens, volenſque occultare, quod praxi, quam amplexus ſū, aduerſatur. In hiſt. Cult. Sinen. pag. 405.

Tertio. In Epiſtola DD. Directorum Seminarij Pariſienſis ad Summum Pontificem, inter alia *falſa, & ſuppoſita ibi contenta iſtud pariter legitur, ſcilicet quòd Præfectus Mathematicæ Chi li lie Fa (quod eſt Officium, quod noſtri Patres exercent) curam habeat eligendorum dierum*. Præter authenticam confutationem, quam miſerunt PP. Pekinenſes, videat Veſtra Reu. id, quod dixit P. Fr. Auguſtinus à Sancto Paſchali in reſponſione ad D. Abbatem de Lionne §.28. num. 128.

Quarto. In prædicta Epiſtola ad Summum Pontificem circa principium, aut in ſcripto, cuius titulus eſt: *Status Quaſtionis* pag. 7. loquendo de Domino Maygrot, dicunt: *Tantam Characterum, Librorum, vſuumque Sinenſium notitiam adeptus eſt, vt ab ipſiſmet gentis huius Doctoribus Vir inter alios peritiſſimus habeatur*. Manifeſta ſanè falſitas; Siquidèm

Digitized by Google

quidem ego, qui per ſeptem annos in *Focheu* cum dicto Domino moratus ſum, ſcio, quòd nec vnus quidem Doctor Sinenſis commercium cum eo habuerit, nec notitiam de ſcientia prædicti Domini. Duo ſolummodo ſunt Litterati, quibus cum præfatus Dominus egit, vnus eſt ipſius *Siam cum* (Litteratus Domeſticus) nomine *Li So leam*, Bacchalaureus tertij Ordinis, ſeu infra mediocritatem, qui aliquoties mihi loquutus eſt *de intelligentia parùm genuina, quam præfatus D. Maygrot habet librorum Sinicorum, & de modica ratione, qua idem impugnat libros, & praxim Patrum Societatis*. Alter eſt vnus Licentiatus nomine *Kiam guei piao*, qui cum adhuc Bacchalaureus eſſet, functus eſt per duos annos Officio *Siam cum* (Domeſtici Litterati) apud eundem Dominum. Hic Sina eſt quidem bonus Litteratus, at peſſimus Chriſtianus, *qui argenti cupidine dicebat prædicto Domino contraria omnia ijs, quæ ipſemet faciebat tàm circa ſuum Confucium, quàm circa Auos*. Ecce, hi ſunt Doctores Sinici. Alius Licentiatus, & bonus admodum Litteratus, ac Chriſtianus nomine *Vam* Petrus oriundus à *Xenſi* baptizatus in *Focheu*, colloquia ſua habuit cum præfato Domino circa libros Sinicos, & ſingulatim circa librum *Te Kim*, & conceptus, quem fecit de ſcientia præfati Domini, fuit, quod *coram me, & meo P. Superiore multum reprobaret ſiniſtram interpretationem, & prauum ſenſum, quem dictus Dominus Maygrot dabat libris ſuis Sinicis*. Ad probationem Peritiæ Sinicæ dicti Domini *poteſt Reuerentia Veſtra producere duo ſcripta, ſeu folia impreſſa, quæ ego Veſtræ Reuerentiæ miſi in Nan cham: quæ iterum imprimere neceſsè fuit ad emendandos errores, & propoſitiones parùm rectas primæ impreſſionis; & Dominus Charmot illa Romæ tantopere laudauit, quaſi forent duo tomi ſufficientes ad probandam ſcientiam, & eruditionem Sinicam præfati Domini Maygrot &c.*

Quinto. Notabilis eſt contemptus, quem iſti duo Domini (DD. Cononenſis, & Roſalienſis) tùm ſcripto, tùm libris impreſſis præſeferunt *de bono Domino Fr. Gregorio Lopez*, adeo vt Dominus Aſcalonenſis anno præterito narrauerit hìc Domino Nankinenſi id, quod Dominus de Lionne Roſalienſis ſibi dixerat, nimirum, *quòd ipſe D. Roſalienſis pluris faceret quemuis ex ſuis famulis, quàm prædictum D. Baſilitanum*. Ad confutationem huius, ac reliquarum iniuriarum, quas iſti Domini faciunt Prælato tantæ æſtimationis, & Venerationis, poteſt Veſtra Reu. allegare reſponſionem P. Fr. Auguſtini à Sancto Paſchali ad P. Fr.

Vide ſuperiùs in hoc Summ. num. 2 ſub litt. X.

Digitized by Google

Fr. Bartholomeum Matron S. 1. num. 20. 21. 22., & ſingulariter num. 23.

Sexto. Contra Probabiliſmum, quem Dominus Charmot, & iſti DD. Clerici exprobrant Societati, Veſtra Reu. poterit Romæ coram Sacra Congregatione interrogare D. Charmot de ſequentibus quæſitis. Primo &c. Octauo *qua probabilitate, & qua iuſtitia fecerit D. Cononenſis Inſtrumentum, quod impreſſum fuit, & oblatum Sacræ Congregationi, in quo PP. Emmanuel Trigueiros, & Maginus Ventallol depoſuerunt neminem ex PP. Dominicanis ſequutum eſſe in praxi opinionem Societatis circa Confucium, & Auos? cum tamen optimè ſciret D. Cononenſis varios PP. Dominicanos contrarium ſequutos eſſe, & ſpeciatim circa Tabellas, ſicut pariter conſtat ex tractatu P. Fr. Auguſtini de Sancto Paſchali ſupracitati.* In hoc Summ. nu. 2. litt. T., & litt. V.

Veſtra Reu.

Nankini 28. Nouembris 1701.
Minimus Seruus in Chriſto.
Ioannes Paulus Gozani.

Non referuntur hîc litteræ PP. Pekinenſium ad Sanctiſſimum D. N.

Nec aliæ eorumdem ad Sac. Congregationem de Propaganda, quia originaliter traditæ ſunt.

Reu. P. Franciſci Xau. Philippucci S. I. Tractatus.

PP

Nouum Teſtimonium ex tractatu manuſcripto, nec dum impreſſo, nec citato P. Franciſci Xauerij Philippucci S. I., qui fermè totus conſtat Textibus Sinicis, & clarè diſſoluit omnes difficultates hactenus propoſitas, ac diſtinctè omnes ritus, & Cæremonias exponit.

Liber Primus. Quamplures Sinicæ litteræ explicantur, ex quarum genuino ſenſu Sinenſium controuerſiarum ſolutio admodum dependet.

Explicatio litteræ *Chu*.

Explicatio litteræ *Ci*.

Articulus Primus. Quidnam ſentiant politici Cultus Impugnatores circa ſignificationem litteræ *Ci*.

Articulus Secundus. Declarationes litteræ *Ci* in Sinicis vocabularijs inuentæ referuntur.

Articulus Tertius. Sinicorum librorum exempla litteræ *Ci in politico ſenſu acceptæ exponuntur.*

Articulus Quartus. Litteræ *Ci* Sinonyma, quæ politicum ſenſum manifeſtè complectuntur.

Articulus Quintus; Reſpondetur obiectionibus.

Articulus Sextus. Quæritur, vtrum inter Sinas aliquod inueniatur vocabulum, quo Sacrificium vero Deo oblatmu

Digitized by Google

tum propriè ſignificetur, quodque à Sinenſibus Chriſtianis vſurpari fas ſit.

Explicatio litteræ *Fo*.

Explicatio litteræ *Guey*.

Explicatio litterarum *T*, *Pim*, *Ci*, *Kin*.

Explicatio litterarum *Lim*, *Xin*, *& Hoen*, prout in ritibus Funeralibus vſurpantur.

Explicatio litteræ *Miao*.

Sinonyma litteræ *Miao*, *cùm ad ſignificandam Aulam, vbi Sinenſens Confucium, aliosque Sapientes venerantur, adſcribitur*.

Reſpondetur obiectionibus, quæ contra Aulas Confucij, ac Defunctorum excitantur.

Explicatio littera Xy, & Ritus per illam ſignificati.

Explicatio littera Xim.

LIBER SECVNDVS.

De Sinarum intentione in Cultu Progenitorum, ac Magiſtrorum Defunctorum.

Cap.1. De intentione venerandi Defunctos.

Cap.2. *De origine, & intentione Cultus Confucij, aliorumque Sapientum, ac Magiſtrorum in Sinis*.

Cap.3. *De origine, & intentione erigendarum Aularum in honorem Defunctorum, atque Confucij*.

Cap.4. *De origine inſtitutionis Tabellarum Defunctorum, atque Confucij*.

Cap.5. De materia, & forma earumdem Tabellarum.

De inſcriptione Tabellarum.

Cap.6. Catalogus Nominum Sinonymorum, quibus Sinenſes Tabellam Defunctorum appellant, vel eius inſcriptionem terminant.

Cap.7. De intentione Sinarum in erigendis Tabellis ſuorum Defunctorum, atque Confucij.

Cap.8. De alijs Sinarum Ritibus ad præſentandam Defunctorum memoriam inſtitutis.

Cap.9. De Sinicis Apophoretis, ſiue de intentione Sinarum in ritu diſtribuendi, & edendi cibos Defunctis, & Confucio iam oblatos.

Cap.10. De politico, & Lugubri Sinarum ieiunio, eiuſque ſeruandi intentione.

Cap.11. De intentione offerendi pilos, & Sanguinem Animalium; quorum Carnes Confucio, & maioribus Defunctis offeruntur.

Cap.12.

Cap. 12. Præſidentes, Miniſtri, res, & actiones, quæ *in Cultu Confucij, & Defunctorum adhibentur in ritibus etiam euidenter politicis vſurpantur*.

LIBER TERTIVS.

Sinenſes nil verè ſperant, aut petunt à Defunctis, & Confucio.

Cap. 1. Antiqua, & moderna Sinenſium Litteratorum doctrina de Collatore omnium bonorum, quæ ab hominibus nequeunt impertiri.

Cap. 2. *Pluribus, & grauibus Teſtimonijs adſtruitur, Sinenſes nihil à Defunctis ſperare, vel petere.*

Cap. 3. Littera *Cho*, & dictio *Chouen*, & vtriuſque Sinonyma declarantur.

Cap. 4. Hiſtorica narratio de origine, & praxi formularum *Chouen*, ſeu Panegyricorum, quæ in honorem Confucij, & antiquorum Sapientum recitantur.

Cap. 5. Hiſtorica narratio de origine, & praxi formularum *Chouen*, ſiue Epicediorum, quæ in Funeralibus ritibus recitantur.

Cap. 6. De intentione Sinarum in vſu *Chouen*, quæ in honorem Defunctorum, & Confucij recitantur, & de alijs circumſtantijs, quæ eandem intentionem manifeſtiorem efficiunt.

LIBER QVARTVS.

Sinenſes non credunt Spiritus Defunctorum in Tabellas ſibi erectas deſcendere, ibique reſidere.

Cap. 1. *Sinenſes ſuos Defunctos in ritibus Funeralibus colunt, acſi illi viuerent*, ijſque ritibus re vera adeſſent, ex quo clarè deducitur, eoſdem Sinenſes non credere Spiritus Defunctorum in Tabellas illis erectas deſcendere, ibique reſidere.

Cap. 2. *Plures Sinenſes ritus afferuntur, ex quibus verum Animarum deſcenſum, & in Tabellis manſionem à Sinis minimè credi, manifeſtè conuincitur.*

Cap. 3. Solutio Obiectionum.

LIBER

LIBER QVINTVS.

Sinenſes non credunt Spiritus Defunctorum oblatos ſibi cibos comedere.

Cap. 1. Sinenſium Authorum Sententiæ afferuntur, in quibus ij *expreſsè negant, Spiritus Defunctorum oblatos ſibi Cibos comedere.*

Cap. 2. Variæ circumſtantiæ, quæ in Cibis Defunctis oblatis inueniuntur, manifeſtè euincunt, eos non offerri, vt ab ijſdem comedantur.

Cap. 3. Soluuntur Obiectiones.

Cap. 4. Europæorum mores circa oblationes, alioſque ritus Funerales, necnon circa Cultum vitâ Functorum Magiſtrorum, & Virorum Inſignium.

Cap. 5. Funebres Occidentalium Nationum Orationes cum Sinenſibus *Chouen* conferuntur, & in accidentibus diſſimiles, in ſubſtantia verò ſimiles demonſtrantur.

Cap. 6. Per plures exoticæ actiones, quibus Sinenſes ſuum erga Defunctos doloris, amoris, ac deſiderij affectum ostendunt, referuntur.

Cap. 7. De politicis *Chouen*.

Eiuſdem P. Franc. Xau. Philippucci.

QQ Aliud Teſtimonium eiuſdem P. Franciſci Xauerij Philippucci ex diuerſis eius tractatibus manuſcriptis deſumptum.

Notæ ſuper opere P. Fr. Dominici Nauarrette.
Itèm Notæ ſuper *Ly Ki*.
Itèm Notæ in *Xi Kim*.
Itèm Notæ in *Te Kim*.
Itèm Notæ in *Kia Ly*.
Itèm Cenſura de Libro *Kia Iu*.
Itèm explicationes 35. Textuum Sinicorum.
Itèm ſagitta retorta &c.

Eiuſdem impreſſum eſt præludium ad Tractatum ſupradictum, in quo præludio exponuntur *quadraginta duæ ſuppoſitiones falſæ, quæ inueniuntur in quæſitis R. P. F. Ioannis Baptiſtæ de Morales apud Romanam Curiam. Tum oſtenditur, non eſſe fideliter factam ab eodem P. Fr. Io: Baptiſta de Morales translationem Sinicam Decreti Sacræ Congregationis anni* 1645. *&c.* De quo videatur ſupra in nu. 1. Teſtimonium Illuſtriſſimi Aſcalonenſis ſub litt. L.

Præterea impreſſi ſunt varij alij Tractatus Miſſionariorum Sinenſium Societatis Ieſu circa Ritus Sinenſes, vt

Epi-

Epiſtola P. Franciſci Furtado V. Prouincialis Sinenſis anno 1636. Scripta ad Reu. P. Mutium Vitelleſcum Præpoſitum Generalem. Tum reſponſio eiuſdem P. Franciſci Furtado ad duodecim quæſtiones P. Fr. Ioannis Baptiſtæ de Morales Ordinis Sancti Dominici anno 1640.

Itèm Reu. P. Franciſci Brancati reſponſio Apologetica ad Reu. P. Fr. Dominicum Nauartete Ordinis Prædicatorum.

Itèm Reu. P. Iacobi Le Faure diſſertatio Theologico Hiſtorica de auita Sinarum pietate &c.

Itèm Reu. P. Proſperi Intorcetta Teſtimonium de Cultu Sinenſi.

Itèm Reu. P. Ioannis Dominici Gabiani diſſertatio Apologetica de Sinenſium ritibus politicis.

Extat itèm Tractatus manuſcriptus ſatis amplus de iiſdem controuerſijs compoſitus à Reu. P. Sebaſtiano de Amaya anno 1645.

Extat etiam Tractatus manuſcriptus PP. Antonij Rubini Viſitatoris Iaponiæ, & Sinarum, & Iacobi Morales Lectoris Theologiæ, qui in Iaponia mortem pro fide obierunt, & ab ijs compoſitus anno 1641., ac manu illorum propria ſubſcriptus; itèm manu propria Franciſci Furtado etiam Viſitatoris Societatis, & Emanuelis Diaz V. Prouincialis Chinæ cum ſigillis Viſitatoris, & V. Prouincialis.

Num. 7. Teſtimonia Sinenſium.

RR Teſtimonium Imperatoris Sinarum nunc Regnantis.

Oblatum iam fuit Sanctiſſimo, & Sacræ Congregationi de Propaganda Decretum Imperatoris Sinarum in Libro Pekini impreſſo anno 1701., & ſubſcripto à P. V. Prouinciali, & omnibus PP. S. I. Pekini exiſtentibus, adiecto etiam ſigillo eiuſdem V. Prouincialis, fuitque idem Decretum toto Imperio Sinenſi vulgatum, in quo ipſemet Imperator declarat, nec à Confucio, nec à Progenitoribus ſecundùm doctrinam Sinicam quidquam peti, vel ſperari, nec eredi illorum Animas præſentes in Tabellis, nec honorari Confucium, niſi vt Magiſtrum vitâ functum, nec Progenitores, niſi vt Progenitores Defunctos, atque ità coli Mortuos, quaſi ſi adhuc viuerent. Itèm per voces *Tien, & Xamti* intelligi Cœli, Terræ, rerumque omnium originem, Auctorem, & Dominum, ſicut non raró per voces Aulæ Imperialis Imperator ipſe exprimitur, & hunc ſenſum ſe voluiſſe exprimere, cùm Patribus Societatis Pekini illas litteras *Kim Tien* ipſemet dono dedit; atque demum & hæc omnia eſſe iuxta *communem, & vniuerſalem totius Imperij Sinici doctrinam*.

F Haben-

Habentur hic præterea; Primò Exemplar ipſius Decreti Tartaricum Pekini impreſſum, ſubſcriptum, & ſubſignatum ab Illuſtriſſimo Andreuillenſi Carolo Turcotti.

Secundò Exemplar eiuſdem Sinicum Pekini impreſſum ſubſcriptum, & ſubſignatum ab eodem Illuſtriſſimo Andreuillenſi.

Tertiò Exemplar eiuſdem Sinicum Nankini impreſſum ſubſcriptum, & ſubſignatum ab eodem Illuſtriſſimo Andreuillenſi.

Quartò Exemplar eiuſdem Sinicum Cantone impreſſum, ſubſcriptum, & ſubſignatum ab eodem Illuſtriſſimo Andreuillenſi.

Quintò Exemplar eiuſdem Sinicum in *FoKien* (*Vicariatu Illuſtriſſimi Maygrot*) impreſſum, ſubſcriptum, & ſubſignatum ab eodem Illuſtriſſimo Andreuillenſi.

Sextò Illuſtriſſimus Aſcalonenſis ſcribit ſe exemplar Sinicum eiuſdem Decreti impreſſum, & à ſe ſubſignatum, mittere ad Sanctiſſimum Patrem, proùt habetur in præſenti Summ. num. 1. ſub litt. F.

Septimò R. P. Fr. Bonauentura de Roma Ord. Sancti Franciſci ſcribit, ſe exemplar Sinicum eiuſdem Decreti impreſſum mittere ad Sac. Congregationem de Propaganda, vt in hoc Summ. num. 2. ſub litt. R.

Octauò RR. DD. Carolus Ludouicus Apiani, & Ioannes Mullener Miſſionarij ad Sinas à Sac. Congregatione de Propaganda miſſi, eiuſdem Decreti Imperialis exemplar ad eandem Sac. Congregationem miſerunt.

§S Teſtimonia Primatum, & Doctorum PeKinenſium.

In eodem Libro Sanctiſſimo, & Sacræ Congregationi de Propaganda oblato continentur Teſtimonia Primatum, & præcipuorum quorumdam Doctorum Imperij Sinenſis de eodem ſenſu Rituum, & conſuetudinum Sinicarum, proùt ſequitur, videlicet.

Primum eſt Teſtimonium Reguli, ſeu Principis Fratris Imperatoris, natu minoris, ætatis pluſquam annorum quadraginta, Libris legendis, & acquirendæ eruditioni addictiſſimi.

Secundum eſt *Soſan Laoye* Præfecti Prætorianorum, & Imperatori modò à Conſilijs fere præcipui, qui annis decem *Colaum*, ſeu Primum totius Imperij Miniſtrum, & antea *Præſidem Tribunalis Rituum egit*.

Tertium eſt *Mim Laoye*, qui fuit *primus Colaus*, ſeu primus Imperij Miniſter annis quindecim, nunc verò Imperatori à Conſilijs, Palatij Magnatem agit, & olim Iuuenis ob *eminentem ſcientiam in literis Sinicis*, ac Tartaricis ab Impe-

Imperatore *Xun Chi*, factus *Bibliothecæ Regiæ Præfectus &c.*

Quartum eſt *y Sangba*; qui iam à quatuordecim annis eſt Primus Imperij Miniſter, ſeu Colaus, & antea pluribus annis fuit Supremus *Præſes Tribunalis Rituum*.

Quintum eſt *Nepotis ipſiuſmet Confucij*, qui eo anno in Aulam Pekinenſem venit in ipſo Imperatoris natalitio &c. Hic præſens eſt 73. vel 74. Nepos Confucij.

Sextum eſt Vamhi, qui iam ab annis pluſquam viginti Colai, ſeu primarij Miniſtri officium gerit, eſtque Vir toto Imperio ob eruditionis, ac prudentiæ famam celeberrimus.

Septimum eſt *Cham ym*, qui multis annis in literis Sinenſibus *Magiſter fuit Imperatoris, & filiorum eius, & pluribus annis Præſes Tribunalis Rituum*, & nunc ab aliquot annis *Colai* Dignitatem obtinet.

Octauum eſt *Han*, qui nunc eſt Supremus *Præſes Tribunalis Han lin yuen, ſeu præcipuorum Imperij Doctorum qui ex omnibus Prouincijs præuio examine ab ipſomet Imperatore deliguntur*, eſtque inſuper *Præſes Supremi Tribunalis Rituum*.

Ex eodem Supremo Tribunali *Han lin yuen, ſeu Doctorum Imperij, qui rei litterariæ, & Librorum Claſſicorum interpretationi præſunt*, aliqui alij Doctores interrogati ſuper eodem ſenſu Rituum Sinicorum, idem, aut ſimile Teſtimonium dederunt propria ſubſcriptione, ac ſigillo authentico.

Nonum eſt *Sun*, qui Præſidem agit Tribunalis, ad *quod ſpectant Ceremoniæ circa Cultum Confucij*, itemque Præfectum Regiæ Bibliothecæ, eſtque ſecundus à Præſide titulo honorario *in Supremo Tribunali Rituum*, & maximæ auctoritatis inter Doctores Tribunalis *Han lin yuen*.

Decimum cùm ſit de ſignificatione vocum *Tien, & Xam ti*, hîc omittitur, & ponitur inter Teſtimonia ad *Tien, & Xam ti* pertinentia.

TT

Teſtimonia variorum Litteratorum Sinenſium Chriſtianorũ ex varijs Imperij Prouincijs.

Litteratus Ly Kieu *cum nomine Thomas in ſuo originali manuſcripto cum titulo* Lyſo Mim Pien, *id eſt, de Ritibus, & Ceremonijs Sinicis diſcurſus, hæc habet. Ibi fol. 5.*

Quæritur, quis ſit ſenſus binæ oblationis *Ci*, quæ fit in Aula Confucij Vere, & Autumno. ℟. Duplex illa intra annum ſancita Confucij oblatio *Ci*, Verna, & Autumnalis, *ideo tantùm fit, quia Confucius cùm fuerit priſcus Chinæ*

Magiſter, ſuàque doctrinâ ampliſſimum contulerit Beneficium, volunt Sinæ Magnificos facere ritus, quibus gratias agant pro eius meritis &c.

Ibidem fol.6. Quæritur: Cur noui Baechalaurei, & noui Licentiati gratias agant in Aula Confucij ℞. Sinæ, vt poſſint eſſe Bacchalaurei, & Licentiati, debent ſtudere Confucij Libris, idcirco dum illis, quibus adipiſcuntur Bacchalaurei, & Licentiati gradum, diebus adeunt Confucij Aulam *Miao*, corporiſque inclinationibus ad Terram vſque ei gratias agunt, *nullam aliam habent intentionem, quàm illi gratias agendi ob doctrinam, & documenta*; enim verò ecquid aliud in eo eſt, quod poſſit vitio, ac culpæ verti? &c.

Ibidem fol.13. Quod attinet ad Statuarum erectionem, hæ ab ingreſſu ſectæ *Foe* in Chinam, cæperunt ſolùm erigi. Imperator *Hum vu*, quando *primariam in Curia Claſſem* primò inſtituit, & litterariam Confucij Aulam erexit, rigidiſſimè iuſſit Confucij Statuas deſtrui, & aboleri, & loco Statuarum fieri oblationes Confucij Tabellæ, quod huc vſquè continuatum eſt ſemper; fieri ergò oblationes Maiorum, & Confucij Tabellæ non eſt tantùm ritus antiquus, ſed etiam Imperiale Decretum. *Hinc primi Miſſionarij*, qui venerunt ad prædicandum Euangelium, diligenter diſtinguentes prauum à recto, examinanteſque ea, quæ erant reijcienda, aut permittenda; Ex gr. *Videntes Domi erectas Dæmoniorum Statuas, ſtatim iuſſerunt eas dirui, videntes autem Auorum Defunctorum Tabellas, eas reliquerunt, vt priùs, nec mutârunt &c.*

Ibidem fol. 14. Quæritur dum fiunt oblationes *Ci* Confucio, & Progenitoribus defunctis, rogantur ne ab illis aliqua bona, an non? ℞. A principio trium Regiarum familiarum &c. *nondum autem audiui poteſtatem immittendi bona, & mala attribui Confucio, & Parentibus defunctis*; nunc non inquirentes primitiuum ritum, ſed ob vnam, alteramue exiguam dicendi formam à poſterioribus traditam, ſtatim incipiunt dubitare, V. G. dum audiunt *accipere vinum fauſtum*, ſeu *epotare felicitatem, excipere Carnem oblatam*, mox dubitant, an non ſit petere felicitatem à Confufucio? ſi hoc re vera eſſet, ergo omnes Litterati deberent, ſicuti praui illi Spirituum Cultores, ſeu Idololatræ indeſinenter currere ad Confucij Aulam, vt ei reuerentiam exhiberent; iſtud ne fit? &c. *Quo circa qui faciunt oblationes Confucio, re vera eas faciunt tantùm ad venerandam eius doctrinam, & ad gratias pro meritis perſoluendas; non verò*

Digitized by Google

ad rogandam felicitatem, ac bona; Ita qui faciunt oblationes Parentibus defunctis, re vera eas faciunt tantùm ad recordationem alimentorum, quæ non poſſunt ampliùs eis ſubminiſtrare, & ad gratias pro generatione perſoluendas, non verò ad rogandum felicitatem, ac bona &c.

Thomas *Ly* ex Prouincia Fokienſi oretenus dixit eius filius Leontius ſcripſit.

Idem Ly *Thomas in alio ſuo Tractatu originali manuſcripto, cuius titulus* Chim li Cu y, *ſeu diſcurſus ad probandos ritus, hac habet. Ibi fol. 49. in diſcurſu de oblationibus defunctorum.*

VV Aliud teſtimonium eiuſdem Litterati.

Qui enim fieri poſſit, vt filius, poſtquam Parens obijt, nec ampliùs apparet, ſtatim eius obliuiſcatur? Idcirco primi olim Sapientes Imperatores, Cœli iuſſu Orbem regentes, timuerunt ne mortui ſtatim facilè deſpicerentur, & poſtea facilè in obliuione ponerentur. Propterea *niſi inſtituiſſent ritus, quibus fierent oblationes Parentibus iam ſepultis, ad docendam filialem obſeruantiam*, plurimi certè & mortuos ſtatim deſpexiſſent, & Progenitorum obliti fuiſſent &c.

Fol. 52. Dum liber Sententiarum narrat, Confucium oblationes *Ci* facere ſuis maioribus defunctis, *oblationes*, inquit, *illis faciebat non ſecùs ac ſi illic adeſſent*, iſta verba (*non ſecùs ac ſi*) *manifeſtè declarant, eos non verè, ac reapſe adeſſe &c.*

Fol. 53. Quod ad ligneam tabellam, qua inſeruitur maioribus defunctis, attinet, tanta eſt differentia inter hos maiores defunctos, & inter prauas, ac friuolas illas oblationes ab Idolatris factas, Idolorumque erectionem, quanta eſt inter diem, & noctem, inter albedinem, & nigredinem: *Ideo primi Miſſionarij Europæi omnino iuſſerunt deſtrui iſtorum fictorum Spirituum prauas Statuas, & quoad ligneas defunctorum tabellas, permiſerunt, vt continuarentur Litteratorum ritus, nec hac in re etiam poſtea quidquam immutarunt.*

Fol. 55. *Atque hic eſt verus ſenſus iſtius* Ci, *quod re vera ſpectat dumtaxat gratiarum actionem &c.* At fortè dubitabis, an non illæ oblationes *Ci* ſpectent etiam ad faciendas deprecationes? quia nimirum in libro Carminum videntur quædam verba ſæpiùs illas indicare, aut adumbrare, vt ſunt *magna felicitas, proſperitas, tranquillitas, beare,*

tranquillare &c. ℞. Cùm videas in eodem libro cap. *Cui, & Cœlum det tibi tuæ dignitatis fructum, & in cap.* Sin nan Xan, *excipe Cœli felicitatem, non intelligis iſtam felicitatem ad Cœlum referri?* Iſta enim ſunt verba Lectoris, qui nomine Parentum defunctorum annunciat poſteris felicitatem, & bona; horum autem ſenſus, ac mens eſt tantùm, *quod Lector optet filijs, ac Nepotibus obſequentibus, oblationeſque facientibus, vt ſua virtute felicitatem, & bona à Cœlo obtineant, nec vnquam audet dicere ſe nomine Parentum defunctorum habere poteſtatem dandi bona &c.*

Fol. 62. Ritus, quo in poſterioribus Sæculis cœpit fieri oblatio Confucio, ortus eſt ex ritu antiquo, quo priſcis Sapientibus, ac Magiſtris ſolebant fieri oblationes, & ideo erigitur Confucij Aula ad latus Gymnaſij, quotieſcumque Imperator adiens Gymnaſium facit illas oblationes, ſeu præſentationes, *vult per hoc demonſtrare ſuam de doctrina exiſtimationem, & ſuam erga Litteratos reuerentiam*, vt filij Principum, alijque omnes Diſcipuli diſcant res litterarias plurimi facere; *nec omnino creditur fieri illam Confucio oblationem, tanquam ipſe haberet poteſtatem bona, ac mala immittendi, ideoque fieret aliqua ad illum deprecatio &c.*

Fol. 63. Ex his omnibus patet, illam Confucij oblationem neutiquam fieri *ad rogandam vllam felicitatem, ac bona, ſed tantùm ad gratias pro meritis perſoluendas, ſicuti oblationes defunctis Parentibus non fiunt ad poſtulanda bona, ſed eodem modo fiunt dumtaxat ad gratias pro beneficio generationis perſoluendas*, & ideo vterque hic ritus ſemper ſubſiſtit, & conſeruatur, nec vnquam ſub quouis Imperio mutari, aut tolli potuit &c.

X.X
Teſtimonium alterius Literati Sinenſis Chriſtiani.

Ten Paulus in ſuo manuſcripto contra P. Varum, *cuius eſt titulus* pien Ci, *ſeu diſcurſus de diuerſitate oblationum* Ci *hæc habet fol.* 4.

Quod attinet ad ritus iſtarum oblationum *Ci*, ſunt omnino hi ritus, *qui in vita vſurpantur ad ſolemne Conuiuium, ſiuntque ſinguli iuxta cuiuſque viuentis, & demortui dignitatem*, nil prorſus addendo, vel diminuendo; nec vnquam vidi ſpeciales fuiſſe inſtitutos ritus ad venerandos maiores defunctos cultu conditionem excedente &c. *Ecquid quæſo iſtorum non ſit in ſolemni Hoſpitis conuiuio?* Mens autem, & intentio toto Cœlo diuerſa eſt ab ea, qua ſeruitur *Xam ti*, ſeu Cœli *Domino*, illum venerando, vt verum Dominum

num, & ſperando ab eo bonorum largitionem, & malorum exemptionem. Ignari aſpiciunt tantùm illam exteriorem ritus pompam, & ſtatim ſuſpicantur maximo illo, ac ſingulari ritu honoris exceſſum committi. Enim verò neſciunt omnes illos ritus eſſe dumtaxat eos, *quos viuentes in conuiuijs ſolent adhibere &c.*

Fol. 6. Denique antiqui, inſtituendo illos oblationum *Ci* ritus, nil aliud intenderunt, quàm Parentum recordationem, non ſuſtinentes derelinquere mortuos. Adhibetur *Domus, Menſa, Storea, Cibus, Potus, ſcilicet hi ritus, qui in vita adhibebantur, ad figendam, & detinendam mentem, quaſi illi ante oculos adeſſent*: ad cogitandum de debita gratiarum actione, & ad ſuam genealogiam nunquam obliuiſcendam. Iam verò tota iſta intentio eſt bona, nec per hanc indebito ritus exceſſu peccatur, nec etiam illa intentio eſt ficta, aut falſa.

Idem yen *Paulus in alio ſuo tractatu manuſcripto ſub titulo* Ci cao, *ideſt libellus de examine oblationum &c. fol.* 8. *ſic ait.* YY AliudTeſtimonium eiuſdem Literati.

Priſci Imperatores iuxta naturalem humani cordis affectum inſtituerunt oblationum *Ci* ritus, extruxerunt domos *Miao* ad referendam defunctorum Parentum ſpeciem, erexerunt ligneas tabellas ad illos repræſentandos, expoſuerunt illorum veſtes, & Statis temporibus appoſuerunt eſcarum fercula ad illos mente recolendos. Vbi primum quis mortuus eſt, mane, & veſpere eſcarum fercula apponuntur, & fit ploratus; poſtquam ſepultus eſt, Statis quatuor anni temporibus fiunt illi oblationes *Ci*; *hæc autem omnia fiunt ad repræſentandam rem inſenſibilem per rem ſenſibilem*, ita ut habeat quaſi aliquid, quo innitatur, & quaſi ſemper ſit ante oculos. Vnde quod docet liber ſentent. *facere oblationes* Ci *defunctis quaſi adeſſent*, & lib. Rit. *quaſi iam iam illos eſſet viſurus*, & lib. immutab. medij: *ſeruire mortuis, ſicut inſeruitur viuis, ſeruire non amplius exiſtentibus, ſicut ſeruitur exiſtentibus, eſt filialis obſeruantia apex*. Hoc totum eſt vera, ſumma ſinceri, ac debiti erga parentes amoris recordatio, & omnis erroris expers ritus; immò id, quo omnes præteriti Imperatores rectam humanæ vitæ diſciplinam inſtituerunt, & bonos mores in hominum animis inſtillarunt, totum inde prouenit &c.

At fortaſse aliquis ob illas oblationes *Ci* hæſitabit, & neſciens quid ſint Spiritus, erroneè dicet: *etiam ne Spiritus indi-*

indigent potu, & cibo, ſicuti ſecta Foe affirmat ? Sed cur non vult ille intueri, quid dicant ſex Libri Claſſici ? *Priſci , qui inſtituerunt illas oblationes* Ci, *nuſquam dixerunt Spiritus indigere cibo, & potu* ; imò cap. *tan cum* apertè dicit : *nunquam viſi ſunt illa excipere, ſeu delibare* ; illud enim tantùm fit ad oſtendendum filialis obſeruantiæ animum , & *nihil aliud* . Et verò ſi illa apponerentur, vt Spiritus biberent , ac comederent , cùm intra annum fiant tantùm quatuor oblationes , & ipſemet Imperator tantùm vſque ad ſeptimam generationem , Plebs verò tantùm vſque ad primam ; *numquid ergo primi, & vlteriores Aui eſſent omnino fame morituri* ? *Non exiſtit ſanè iſtud figmentum . Deinde nunc in oblationum formula dicitur* Xam hiam , *iſta vox* Xam *ſignificat penè quaſi, &* hiam *ſignificat ſpectare, nimirum quaſi, ac penè illi ſpectarent*; non eſt autem vox abſoluta, ſed vox amoris, ac deſiderij &c.

Rurſum, ob illas oblationes *Ci* fortè aliquis per errorem dicet, Spiritum defuncti exiſtere in funebribus aulis *Miao* , & in lignea tabella . Sed numquid ſcit , quòd illi priſci , qui aulas funebres extruxerunt, & tabellas erexerunt, nunquam dixerint, eum illic exiſtere ? &c. Interpres *Sù* : *Id*, inquit, *quod videt, & audit, ex ſe non exiſtit, ſed tantùm prouenit ex conceptu* . Ex his ergo vides , *dum quidam antiqui dicunt, Spiritum venire , aduenire, excipere &c. omnia iſta tantùm ex conceptu fieri, nec verè , & reapſe exiſtere &c.*

Fol. 10. Deinde alius erit, qui ſuſpicetur, an non in iſtis oblationibus *Ci* petatur felicitas , ac rogentur bona ? id certè omninò non habetur; vbicumque enim Ritus dicunt, *facere oblationes defunctis Parentibus , ſolummodo intelligunt cogitare, ac recolere defunctos Parentes , nec vlla prorſus bonorum , ac felicitatis petitio fit* . Poteſt id videri clarè in Libro Rituum , & poſteriores oblationum formulæ nunc adhuc extant ; ab Imperiali Familia *Tam* vſque ad hæc tempora omnes formulæ , ſiue pro Imperatore , ſiue pro plebe, & alijs idem habent ; *nulla prorſus ſunt verba, quibus rogatur felicitas*, quod enim dicitur in Libris Claſſicis : *Offerens recipit felicitatem &c. ſunt tantùm verba , quæ attingunt præſentis rei ſtatum naturalem, ſeu naturalem præſentis actionis ordinem &c.* hæc ergo felicitas non eſt illa , quam Mundus vocat felicitatem, vt apertè dicit Liber Rituum &c.

Digitized by Google

Idem yen *Paulus in Tractatu manuſcripto ſub titulo* Mo chu, *ideſt diſcurſus de lignea tabella, ſic ait fol.* 14.

ZZ
Aliud Teſtimonium eiuſdem Literati.

Priſci non ferentes tractare Parentes mortuos tanquam mortuos, & cupientes ſemper illos videre tanquam ſi adeſſent, *erexerunt aliquã rem ad eos repræſentandos, & locũ determinatum, vt animus illo*(offerentis)*inniteretur, atque hæc eſt cauſa erigendi tabellã ligneam,* alioquin Statis anni temporibus, ſi nullum eſſet determinatũ ſignum, aut locus ad Parentes recolendos, oporteret *cæco, & confuſo modo ſuos præbere honores aut verſus inane aliquod ſpatium, aut verſus aliquem parietis angulum,* ecquæ ſanè foret illa agendi honeſtas? hinc iſtius tabellæ ratio generatim conſiſtit in hoc, vt filius obſequens in eã ſuum animum figat &c. *In eo dumtaxat inſcribitur defunctorum Parentum nomen,* quia licèt eorum anima in illo non exiſtat, illud *tamen defunctorum Parentum loco eſt*; an non igitur hoc licitum? Priſci ita vocabant Parentum defunctorum nomen, ac ſi illos adhuc viderent. *Et verò ſi quis nunc videat Regis, aut Parentis veſtitum, epiſtolam, nomen, mox totus in venerationem aſſurgit, non ſecùs ac ſi Rex, aut Parens coram adeſſet; numquid non ergo id, de quo hìc agimus, eſt idem?*

Idem yen *Paulus in Tractatu manuſcripto ſub titulo* Tiao ven cie ta, *ideſt reſponſiones ad varia Quæſita*: *Hæc habet fol.* 40.

AAA
Aliud Teſtimonium eiuſdem Literati.

Quod attinet ad nouos Bacchalaureos, & Licentiatos, *qui eunt Confucium veneraturi, ſolummodo etiam intendunt illum venerari, & oſtendere illi ſuam reuerentiam ob acceptum doctrinæ beneficium, ſtudendo eius libris, non autem intendunt illi gratias agere, quaſi ille eos potuiſſet adiuuare*, vt Bacchalaureatus, aut Licentiatus gradum adipiſcerentur, nec intendunt ab illo rogare, aliqua futura bona.

Kieu Chim *Licentiatus in epiſtola manuſcripta prælimінari ad ſuum librum* Xouen pien *dictum, ſic ait fol.* 2. *ibi*.

BBB
Aliud Teſtimonium Litterati Sinenſis Chriſtiani.

Deinde ratio, *cur Confucio erigatur aula* Miao, *& fiant oblationes* Ci, *atque multiplices corporis inclinationes, eſt vt diſci-*

Digitized by Google

& diſcipuli, & Litterati non obliuiſcantur ſuum Magiſtrum, alio prorſus modo, quo *Dæmonibus, ſeu Idolis eriguntur* Fana Miao, *vbi ſortes iaciuntur, Iuramenta, ſeu Vota, & Orationes fiunt*; Propterea Sinenſes à ſexto, aut ſeptimo ætatis anno ſtatim ſtudent eius Libris, poſtea vbi adulti facti ſunt, vt examinentur pro litterarum gradibus, adhibentur eiuſdem Libri, certè niſi extitiſſent Confucij Libri, priuſquam Chriſtiana Religio in Chinam ingrederetur, iampridem facta hæc fuiſſet inordinatum beſtiarum antrum &c,

Fol. 4. Si quis igitur tenaci Iudicio velit firmiter ſentire, nec maioribus defunctis, nec Confucio faciendas eſſe oblationes *Ci*, *efficiet, vt poſtea certò Euangelij porta firmiter claudatur, non amplius reſeranda, non erunt amplius Viri Litterati, nec Viri honeſti, qui Religionem Chriſtianam amplectantur, & Patrum Miſſionariorum labores ſuo fine fruſtrati erunt prorſus inutiles &c. Debent PP. Miſſionarij legendo noſtros libros Sinicos bene penetrare phraſis variationes*, nec debent grammaticaliter cognitæ vni litteræ, aut vni ſententiæ adhærere; ſic enim non intelligunt ſenſum, ſitque vt malè illa interpretentur, ac res litterarias malè explicent; vnde cùm Viri Litterati aduertant *illam loquacitatem, nolunt fieri Chriſtiani &c.*

CCC
Aliud Teſtimonium eiuſdẽ Litterati.

Idem Kieu chim *Licentiatus in dicto ſuo libro* Xo ven pien, *hæc habet fol. 3. art. vlt.*

Si defunctorum Parentum animæ poſſent benefacere liberis, aut nepotibus, non expectarent, vt rogarentur, ſed non rogatæ benè facerent &c. iam nulli forent pauperes, ac miſeri, idcircò primi iſtorum Rituum Inſtitutores, dum dicunt re, ac mente explere ſuam reuerentiam, verumque ſuum affectum, ſolummodo volunt id, quod iam priùs dixi, nimirum filius vult oſtendere *Parentibus defunctis ſuum amorem, & affectum, non ſecùs ac ſi adeſſent, ſuamque perennem illorum memoriam exhibere, nec quidquam prorſus ab animabus defunctorum oratur ad bona, vel eorum opem impetrandam &c.*

Ignatius

Ignatius Hum, *Petrus* Yam, *& Simon* Chu *in ſuo tractatu, quem dederunt Patri Intorcetta ſub titulo* Cj ſu ven ta, *ideſt quaſtiones, & reſponſiones de oblationibus: ſic aiunt fol. 2. ibi.*

DDD
AliudTeſtimonium trium ſimul Litteratorum Chriſtianorum.

Neſcis id, quod nos vocamus *Praſidem oblationis, eſſe tantùm totius Parentela Primogenitum, aut Seniorem*; eius ætas, ac dignitas ſufficit ad poteſtatẽ præſidendi oblationis ritibus, quaſi diceretur *Praſes menſa tantùm; oblationis verò Comites, ſunt eiuſdem parentela Conſanguinei*, alijque inter illos, qui officio carent, quaſi dicerentur *hoſpitis Comites*; quod attinet ad Rituum Magiſtros, & Miniſtros; vtpote qui Virorum honeſtorum vrbanitates callent, illi voce alta dirigunt ordinem accedendi, recedendi, flectendi, ne offerentes angantur metu vlla in re, vel minima, errandi, ſurgendo, aut ſe demittendo, quaſi dicerentur famuli; quomodo ſanè id poſſit Sacerdoti aſſimilari, cui poſt multa examina confertur excelſa Sacerdotij dignitas? &c.

Fol. 4. Idcirco *P. Riccius, P. Aleni, & alij omnes Miſſionarij poſt exactam, & repetitam noſtrorum Librorum Claſſicorum diſcuſſionem, cognouerunt Ritum iſtarum oblationum* Ci *licitum eſſe*, nec peccari cultu indebito; viderunt enim filios, ac nepotes hiſce oblationibus filialem ſuam erga Parentes defunctos obſeruantiam, & recordationem explere, adeoque illas non prohibuerunt, *ſed qua rigidè prohibuerunt, fuerunt illa, qua in illis Ritibus immiſcentur contraria Legi Dei*, V. Gr. Combuſtio monetæ, ac telæ papyraceæ &c.

Ly *Leontius Literatus Fokienſis in ſuo tractatu* Pien çy cum pim *dicto, ideſt, diſcurſus* contra Tractatum P. Varo Dominicani *dictum* Pien çij *hac habet fol. 4. ibi.*

EEE
AliudTeſtimonium Litterati Sinenſis Chriſtiani.

Ideo nunquam in Vrbe Regia, & alijs Vrbibus *quemquam audiui auſam fuiſſe victimam, & vinum accipere*, vt illa in Aula Confucij proſtratus offerret, *iudicando illum eſſe Dominum, & Rectorem*.

Fol. 25. Quantum ad id, quod dicit (P. Fr. Varo) *quia Sina agnoſcunt Parentes, Amicos, antiquos Sapientes eſſe Dominos, ac Rectores, ideo illis faciunt oblationes Ci, egò arbitror nullum quamuis ſtupidiſſimum huc deueniſſe*

Digitized by Google

FFF
Aliud Teſtimonium Litterari Sinenſis Chriſtiani .

Hia *Matthias in reſponſionibus manuſcriptis ad varia Quæſita* : *ſic ait fol. 7. ibi* .

Noui Bacchalaurei adeunt Aulam Confucij , *vt eum agnoſcant pro ſuo antiquo Magiſtro* , ſeque eius diſcipulos profiteantur, vtpote qui iam eius Scholam ingredi incipiunt . Poſtquam autem ijdem Bacchalaurei gradum Licentiatûs adepti ſunt , rurſus Confucij Aulam adeunt , vt gratias agant pro tradita ab eo doctrina ; & quia per illam gradum honorificum aſſequuti ſunt , ideo ad eius Aulam accedunt, vt ei gratias agant, ne tanti beneficij immemores eſſe videantur .

Fol. 9. Petes : In oblationibus Confucij , & Parentum defunctorum petitur ne felicitas , ſeu bona , an non ? ℞. *Nec in & his , nec in illis peti felicitatem , aut bona* ; Adhibetur in omnibus iſtis oblationibus quædam verborum formula , & ex illa ſciri poteſt mens, & intentio offerentis &c. *omnes oblationum formulæ* , quæ exiſtunt in Libro Rituum domeſticorum , (ſeu Kia li) *à Doctore* Chu ven cum *compoſito, & nullum omninò verbum habent , quo bona petantur , vnde patet, Sinenſes , dum oblationes faciunt Parentibus defunctis nihil ab illis petere* .

GGG
Aliud Teſtimoniũ Litterati Sinenſis Chriſtiani .

Ho Licentiatus FoKienſis in tractatu manuſcripto cum titulo *Cu yen* , ideſt *Breuis reſponſio* Hæc habet fol. 2. ibi .

Noui Bacchalaurei , & Licentiati *ideo adeunt Confucij aulam , quia ſtuduerunt eius libris, & eius documenta exceperunt* . Hinc honeſtas exigit, vt illum reuereantur , eique gratias agant, nec obliuiſcantur originis, à qua doctrinam acceperunt .

Teſtimonia Litteratorum Sinenſium Infidelium .

HHH
Teſtimonium ex libro in lucem edito ſub nomine Imperat. Kam hi Sinenſis nunc regnantis, impreſſo anno eius Imperij 22.

Ex libro *GeKiam ye Kim* , ideſt quotidiana explicatio libri Claſſici *ye Kim* dicti

Tom. 10. *fol.* 56. ibi ad Symbolum *Cui*

Dum Textus dicit : *Imperator adit maiorum defunctorum aulam, id non fit ad petendam , aut quærendum felicitatem, aut bona* ;

Tomo

Digitized by Google

*Tom.*13.*fol.*32. ad Symbolum *Huon*.

Itaque funebrem domum adeundo *oportet veram maioribus & defunctis reuerentiam præſtare, & vehementer cauere, ne fiat oblatio ad quærendum felicitatem, aut bona.*

Ex alio libro *Su xu ge Kiam*, ideſt quotidiana explicatio quatuor librorum Claſſicorum.

Aliud Teſtimoniũ eiuſdẽ Imp. ex libro impreſſo anno eius Imperij 16.

Spiritus autem, ſeu defunctorum animæ figura, ac voce carent; illos adeſſe, ſiue illorum præſentia verè non datur.

Fan Kia, *Hien*, & *Van Xeuye* Litterati in Commentario libri Claſſici *Xi Kim*, ideſt Carminum dicto *Xue yo Cie* edito anno 1688. hæc habent ibi *tom.*8.*fol.*1.

III Teſtimonium Litteratorum duorum Sinenſium Infidelium,

Iſta vox *Miao*, ſeù ædificium funebre ſignificat alicuius ſpeciem referre; *Cùm enim defunctus ſpectari ampliùs non poſſit, ideo extruitur domus ad repræſentandam illius ſpeciem*

Tam Xin in Commentario ad librum *Kia ly*, ſeu rituum domeſticorum: Hæc habet *tom.*5.*fol.*18. ibi

Aliud alterius;

Agendo de eſcis ad ſepulchrum appoſitis: quamuis, inquit Doctor *Chu hi*, priſci illas eſcas apponerent, *ad demonſtrandum ſe non poſſe pati, vt parentes ſui mortui à ſe tractarentur tanquam mortui, ſunt tamen re vera res inutiles*

Hiu Xin in libro *u Kim y y* citato in tractatu *Geu yen* Literati *yen* Pauli, ſic ait fol.9.

Aliud alterius.

Lignea tabella eſt *imago ſpiritus, ſeu hominis defuncti*; Sepultura enim peracta, *quià filius parentans non habet ampliùs, in quo animum figat, aut cui innitatur, ideo ad faciendam oblationem ipſo die ſepulturæ peractæ erigit tabellam, vt ſuam ei obſeruantiam præſtat.*

Ex *Chin hao* celebri Interprete libri Rituum ad *cap.*4. *tom.*2.*fol.*59.

Aliud alterius.

Perſonatus autem ille ſpiritus (ideſt Puer, qui *olim adhibebatur ad defunctum repræſentandum*) ſi velimus explicare

quid nunc ſit, *Eſt lignea tabella*; *Cùm enim non cerneretur amplius Parentis facies, ac vultus, animus nihil habebat, in quo hæreret, ac ſuumſcopum figeret, idcirco conſtituebatur ſpiritus perſonatus, & iubebatur* defuncti veſtes induere, vt filij parentantis animus haberet aliquid, in quo hæreret, & ſuum ſcopum figeret.

Eodem tomo 2. *fol.* 67. Hinc conijcio primam priſcorum Sapientum, qui ritus inſtituerunt, *mentem hanc dumtaxat fuiſſe, vt prohiberentur Viui mortuos faſtidire, contemptim proijcere, ſtatim relinquere &c. Ecquis ſanè vnquam vidit mortuos oblata excipere, aut delibare?* Verùm ex quo primum ritus olim inſtituti fuerunt, nunquam audiui hæc aliquando omiſſa fuiſſe. Hæc igitur faciunt homines, vt habeant cogitationem grates perſoluendi ſuæ vitæ origini, & ſuos Progenitores recolendi, non valendo affectum reprimere &c. ad patefaciendum animum ſuum, & *nihil aliud*.

Aliud alterius,

Ma Quei yu Litteratus in libro *Ven bien tum cao*, ſic ait *tomo* 43. *fol.* 15.

Confucius colitur, eique munera offernntur, eò quòd habeatur pro Magiſtro.

Eodem tomo fol. 28. Cum Imperator *Quam xun vellet coram Confucio ſe proſternere, monitus fuit ab Aulicis, ne id faceret, quia non decet ſubditum à Domino coli.* Quid, reſpondit illis Imperator? rei Litterariæ Princeps omniumque Imperatorum magiſter non meretur, vt profundiſſimè colatur? his dictis ſtatim ante Confucij aulam profundiſſimè ſe proſtrauit, & dona obtulit.

Eodem tomo fol. 11. Confucius, inquit Doctor *Ngeuyam*, quia librum *Chun Cieu*, id eſt Ver, & Autumnus, aliumque de filiali obſeruantia compoſuit, extendit, ac dilucidauit appendicem, ſeu ſupplementum libri *ye Kim*, atque omnia ordinatè, & ſuo quæque loco diſpoſuit; *propter hanc cauſam illi ſpecialiter erecta eſt aula funebris Miao.*

Aliud alterius.

Ex *Kiu Kieu ſu* libro ſub titulo *cum Miaoly yo Cao*, ſeù examen Rituum, & Muſicæ aulæ Confucij *tomo* 1. *fol.* 4.

Imperator *Chim Cu ven*: Ego quidem (inquit) probè ſcio Imperatores eſſe Populorum Dominos; ſed Confucius ipſe eſt Imperatorum Magiſter. Confucius viam, quam Populi

li debent tenere, ſtabiliuit, triplicem enim illum ordinem inter Patrem, & filium, inter Regem, & ſubditum, inter Maritum, & Vxorem, quinque illas virtutes communes, Pietatem, Æquitatem, Honeſtatem, Intelligentiam, Veritatem, magnas illas, ac vniuerſales boni regiminis leges ad omnium ſæculorum inſtructioem dilucidè ipſe explicauit. *Hinc me decet adire regiam ſcholam, vt priſco Magiſtro oblationes, ſeu præſentationes faciam ad obſecundandum intentioni Litteratos honorandi, & illorum doctrinam magni faciendi.*

Ex libro *Cheu li*, ſeu ritus Imperij *Cheu* compoſito à pluribus Litteratis Imperij *Han*, *tomo 3.fol.*20. ibi. Aliud alterius.

Quicumque doctrina, & virtute excellunt, conſtituendi ſunt Magiſtri, vbi autem obierint, ijs tanquam harmonicæ virtutum concordiæ authoribus ſunt faciendæ oblationes in Schola *Cu Cum* ad oſtendendum, inquit Interpres, *non oportere obliuiſci illorum, à quibus doctrinam hauſimus.*

Plura Sinenſium Teſtimonia ex varijs eorum libris petita cùm accurata horum omnium Rituum expoſitione habentur in Tractatu P.Franciſci Xauerij Philippucci, cuius capita deſcripta ſunt in hoc *Summ.num.6.ſub Litt.PP.*

Teſtimonia de legitimo ſenſu vocum *Tien*, & *Xam ti*, ac de Tabella *King tien*. Num. 8.

Illuſtriſs. Aſcalonenſis in epiſtola ad Sacram Congregationem de Propaganda data 17. Nouembris 1700. cuius particula iam impreſſa habetur, hæc ait.

KKK Teſtimonium Illmi D. Aluari de Beneuente Epiſc. Aſcalonenſis.

Quoad inſcriptionem regiam *King Tien*, ſeu Cœlum colito, *maior pars Miſſionariorum putat tolerari poſſe*, cùm valde probabile ſit, veteres Sinenſes ſub Cœli nomine verum Deum coluiſſe. *Idque tenaciter defendunt Chriſtiani Litterati, qui de ſuis doctrinis meliùs quàm nos Europæi iudicare poſſunt*, & multi illorum non ſolùm id tenent de antiquis, ſed de modernis, nonnullis tamen erroribus implicatis, imò cenſent, quòd aptiùs ſola littera *Tien* ad Deum ſignificandum vteremur, quàm duabus litteris *Tien cha*.

Videantur infrà ſub litt.yyy

Videantur item eiuſdem reſponſa ad 92. quæſita Illuſtriſſimi Roſalienſis in hoc *Summ.num.1.ſub litt.M.*

Varia teſtimonia plurium iam citatorum.

G 2 Item

Digitized by Google

Item Reuerendiſſimus Andreuillenſis in ſua epiſtola ſupra citata in hoc eodem *Summario num.1. ſub litt.O.*

Item Reuerendus Pater Fr. Bonauentura de Roma Ordinis Sancti Franciſci in hoc *Summario numero 2. fol. 36. ſub littera R.*

Item RR. PP. Auguſtiniani in ſua declaratione relata in hoc *Summario num. 3. littera BB.*

Item Rm̃us Roſalienſis in Tractatu P. Stumpf in hoc *Summ. nu. 5. litt. LL.*

LLL

Teſtimonium R.P. Fr. Io: Fernandez Serrano ex Ord. S. Franciſci

Ex R.P. Fr. Ioannis Fernandez Serrano Ordinis Sancti Franciſci epiſtola iam pro alijs punctis citata ſub num. 2. littera Q.

Omittuntur hic caracteres Sinici, qui ſunt in margine Originalis:

Teſtimonium R. P. Fr. Baſilij de Glemona Vic. Apoſt. in China.

Admodum Reuerende Pater &c. Dico quod attinet duas litteras *Kim Tien à Sinicis vocabularijs littera Tien clarè, & diſtinctè explicatur pro vna prima cauſa, quæ remuneratur bonos, & caſtigat malos*; propter quod appellatur ſupremus Imperatorum Imperator, ſicut Veſtra Paternitas notare poterit in hac auctoritate, quam ad marginem cito, *& Reuerendus Pater Fr. Baſilius de Glemona* Vicarius Apoſtolicus in Dictionario, quod ipſemet in lucem edidit anno 1694. litteram *Tien* explicat in hunc modum: Tien *Cœlum, tàm pro materiali, quàm pro ibi habitantibus: Cœli & moderator Deus*; ego pariter hoc communicaui *cum vno ex maioribus Literatis, qui ſunt in partibus hiſce Auſtralibus, Sene 84. annorum* appellato *Lieu* Paulo, quem domi meæ hoſpitem vno, & ampliùs menſe habui, & inter alias materias, de quibus illum interrogaui, vna fuit de *King Tien*, qui mihi reſpondit: idem omnino ſignificari duabus litteris *King Tien*, quod his tribus *King Tien Chu* ſignificatur: hoc eſt *reuereri Deum*, & diſcrimen ſolùm *in hoc eſſe, quod dicere King Tien, eſt loqui magis rethoricè, & ſpeciatim pro compoſitionibus: Addendo autem litteram* Chu *eſt modus loquendi humilior*; id quod mihi probauit ex multis loquendi modis, qui communiter adhiberi ſolent, & quibus nos ordinariè vtimur, ſicut eſt *Chaô Ting*, ad nominandum Imperatorem; cùm tamen id, quod hæ litteræ per ſe ſignificant, ſit Palatium, & ſicut ad nominandum ſpiritum cuſtodem Ciuitatis, ſolum nominantur Muri, & foſſæ *Ching hoang*. Denique R. P. *circa iſtas quæſtiones*

ſtiones iam nos Europæi parùm habemus. quod diſputemus; ¶ *cùm declarauerit Imperator, & Primates eius Imperij, quomodo ipſimet id intelligant &c.* Nangan 16. Nouemb. 1701.
Fr. Io. Fernandez Serrano.

Ex reſponſione Patris Fr. Auguſtini à Sancto Paſchali ad epiſtolam Illuſtriſſimi Roſalienſis ſuperiùs citata circà alia puncta in hoc Summ. num. 2 ſub litt. S.

MMM
Teſtimouium R. P. Fr. Auguſtini à S. Paſchali Ord. Min.

Ibidem fol. 145. Si determinatio, quam V. D. attribuit litteris (*Tien, & Xam ti*) eſt ad Cœlum materiale, itaut cum certitudine id proferatur; hoc nego, iterùmque nego, & ſemper negabo, & quando Veſtra D. probabit iſtam certitudinem, imponemus illam currui triumphali cum corona ex floribus, & cum palma in manu; Verùm ego iudico, non eſſe adhuc natum, qui probare illud poſſit.

Dixerat D. Abbas de Lionne in ſuo ſcripto, voces *Tien, & Xam ti* ex communi ſenſu Sectæ Litterariæ determinatas eſſe ad ſignificandum Cœlum materiale.

NNN
Teſtimonium P. Fr Antonij à S. Maria ex eodem Ordine S. Franciſci.

Pater Fr. Antonius à Sancta Maria primus Miſſionarius Sinenſis ex Ordine Sancti Franciſci refertur à Patre Fr. Auguſtino de Sancto Paſchali in reſponſo ad ſcriptum Patris Fr. Bartholomęi Marron Ord. Prædicatorum in numero 18. pro ſententia PP. Societatis circa vocem *Xam ti*, prout in hoc *Summ. nu. 2. litt. X. pag. 53.*

Habetur hîc etiam liber Sinicus impreſſus cum nomine Sinico eiuſdem P. Fr. Antonij à S. Maria, cuius libri titulus eſt *Tien yu yn*, ideſt *conformitas Religionis Chriſtianæ cum doctrina Sinica Sectæ litterariæ*, ex quo ſequentia excerpta ſunt: vbi & in ipſo titulo Vox *Tien* ſumitur pro Deo.

Fol. 3. Liber Claſſicus *Chum yum* ait: Cœli lex dicitur *natura*: hæc vox *Cœlum*, eſt diuerſæ ſignificationis ab illa voce *Cœlum*, quæ in eodem capite ſic habetur: *debitus Ordo Cœli, ac Terræ*: ibi vox *Cœlum* ſignificat Cœlum cœruleum, ¶ ac viſibile, hîc ſignificat *Cœlum incorporeum, ſeu inuiſibile, ideſt Deum Tien chu.*

Fol. 14. Liber Claſſicus ſententiarum ait, *qui peccat in Cœlum, non habet, quem deprecetur, vt pœnam effugiat.* Iſta vox Cœlum non indicat Cœlum materiale, nec Cœlum illud, quod Interpres dicit eſſe tantùm rationem; Cùm enim materiale Cœlum ſit tantùm materiale inſtrumentum, & illa ratio ſit tantùm regula, quam Deus infundit; *Iſte locus, qui peccat in Cœlum &c. intelligendus eſt, qui peccat in Deum* Tien chu, *ſeu Cœli Dominum.*

Fol. 22. Liber Claſſicus Memcius ait: quantumuis aliquis fuerit deformis, & immundus, ſi tamen ieiunium, & abſtinen-

Digitized by Google

tiam præmittat, & ſe mundet, *poteſt ſanè ſupremo Domino, ſeu Xamti* inſeruire; Hæc vox *Xamti ſignificat vnicum, ac ſupremum Deum Tienchu*, qui regit, & gubernat omnia.

OOO Teſtimonium R.P. Fr. Petri Pinuela ex Ordine S. Franciſci.

R.P.Fr. Petrus Pinuela in libro ſuo Sinico impreſſo *Me ſiam Xin cum*, ideſt de Pia Meditatione, ibi in proœmio fol. 1.

Eſt verè id, per quod Tien, *ſeu Cæli Religio differt à prauis Sectis*.

Fuit hic liber reuiſus à P.Fr.Auguſtino à Sancto Paſchali, Ioſepho Nauarro, & approbatus à Patre Commiſſario, Iacobo Tarrin.

Idem in alio libro Sinico ſub titulo *Co hoei ven ta*, ideſt, Petitiones, & reſponſiones in primo congreſſu, impreſſo, & reuiſo à Reuerendis Patribus Auguſtino à Sancto Paſchali, & Iacobo Tarrin cum approbatione R. P. Ioſephi Nauarro Commiſſarij.

Cap. 3. fol. 9. Dum dicitur Palatium Imperiale, tantùm appellatur illud magnificum ædificium; ſed intra Palatium Imperiale ſumma exiſtat Maieſtas oportet, & ita dum dicitur *Tien*, ſeu *Cælum*, verè demonſtratur *in ſupremo Cælo debere eſſe vnicum ſummè venerandum, & verum Dominum, Gubernatorem ſpirituum, hominum, & omnium rerum*; nos debemus illi gratias agere, & illum colere; ideo Doctor *Cu ſu* ait: *Ritus ſacrificandi Cælo, ac Terræ eſt id, quo inſeruitur Xamti, ſeu ſupremo Domino*. Et liber carminum; Princeps *Ven vam* omni cum diligentia, ac reuerentia palàm inſeruiebat *Xamti*; hinc apparet, quòd Chinæ ſapientum, virtute, ac ſcientia inclytorum mens fuerit, non vt indicarent colendum Cœlum materiale, *ſed colendum Cæli, ac Terræ verum Dominum*. Nunc qui iſtorum antiquiſſimorum ſapientum, virtute, ac ſcientia Incliorum intentioni aduerſantur, Cœlumque materiale colunt, & adorant, horum profectò error rectæ rationi directè repugnat: hoſpes obijcit: Confucius ergò quandò dixit: *qui peccat in Cælum, non habet quem deprecetur, vt pœnam effugiat*; vbi nam dixit eſſe *Tien chu*, ſeu Deum, aut Cœli Dominum? Reſpondeo hęc Confucij verba verè, & clariſſimè dicunt *in Cælo eſſe verum Dominum, & Rectorem*, qui nos reſpicit, & ad nos pertingit, ità ut non audeamus, vel minimùm eum offendere. Enim verò quomodo voluit dicere Cœlum iſtud cæruleum, ac materiale, *aut per iſtam vocem Tien, ſeu Cælum intelligi rationem, & nil aliud?*

Ex

Ex epiſtola P. Io. Pauli Gozani S. I. data NanKini 28. Nouembris 1701. aliàs citata in hoc Sum. nu. 6. litt. OO.

PPP

Teſtimonim de facto RR. PP. Franciſcanorum Miſſionariorum in Sinis.

P. Fr. Emanuel de Sancto Io. Baptiſta (Ordinis S. Franciſci) qui hîc moratur Nankini, nobis indicauit, quòd in Ciuitate *Lin Kiu* (ſi non erremus in nomine) Prouinciæ *Xantum* in vna ſua Eccleſia illi Patres Franciſcani adhuc habeant litteras *Kiem Tien*, dictus Religioſus ex Prouincia *Xan tum* diſceſſit, vt huc veniret, anno præterito.

Pater Fr. Ioannes de Paz in Opuſculo, in quo 274. quæſita &c. iam allato ſuperiùs in hoc Summario num. 4. ſub littera DD.

QQQ

Teſtimonium R. P. Fr. de Paz Dominicani, & aliorum PP. Miſſionariorum Regni TunKini eiuſdem Ordinis.

Ibi §. 8. inter quæſita à PP. Miſſionarijs propoſita ſic habetur fol. 64.

10. An tunc Chriſtianus poſſit, omiſſis Idolorum nominibus iurare interpoſitò nomine *Thit ong de*? vox enim illa idem ſonat, ac vox *ſupernus Rex*, qui ab omnibus etiam gentilibus ſummopere veneratur. Licet verò nihil omnino certi de illius ſubſtantia, aut perfectionibus dicere audeant, nec aliquo religionis cultu illum adorare propter ignorantiæ ſuæ tenebras, tamen illi tribuunt excellentiam ſupremam, iuſtitiam etiam ad remuneranda bonorum opera, & ad punienda peccata malorum, ita de eo optimè ſentiunt, ſed ſubobſcurè, nec quicquam fabuloſi de eo aſſerunt, ſicut de ſuis Idolis aſſerere ſolent.

11. An Chriſtianus per ſupremum illum Regem iurans, teneatur aliquam proteſtationem facere, & declarare, quid ſentiat de illo, quem Infideles, & ignorant, & reuerentur? &c. ſuppoſitis ergò his, quæ in decimo quæſito de ſuperno Rege referuntur, reſpondetur *poſſe Chriſtianos iurare per illum ſupernum Regem*, quotiès coguntur facere illud ſolemne iuramentum: *Ille enim ſupernus Rex, cui Gentiles ſupremam attribuunt excellentiam*, & profitentes ſe illum neſcire, tamen ſub illa ignorantia illum ſummè venerantur, *Deus verus credendus eſt rerum omnium Creator.* Quandò Sanctus Apoſtolus ingreſſus eſt Athenas, inuenit Aram, in qua ſcriptum erat *Ignoto Deo*. Ignorabant illum Deum, ſed neſcientes adorabant; Paulus verò eis patefecit, quòd iſte, quem ignorantes colebant, erat verus Deus, dicens, Act. 17. *Quod ergò ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis, Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt. Eodem*

Reſpondet ad hæc R. P. Fr. Io. de Paz pag. 68.

Xam ti ſignificat Regem ſupremum.

dem modo Miſſionarij TunKini ſequentes exemplum Apoſtoli poſſunt aſſerere verum Deum iſtum, quem TunKini Regem ſupernum vocant, docentes eos attributa veri Dei, quæ eorum capacitas capere poſſit. Ex quo nullum poreſt ſequi inconueniens, aut abſurdum, quia cùm de illo nullas fabulas narrent, neque ei cultum tribuant ſuperſtitioſum, illum venerantur in veritate, licèt obſcurè, ſub aliquibus perfectionibus, quæ verè conueniunt Deo vero &c.

Pag. 69.

Ad 11. reſpondetur faciendam eſſe proteſtationem, quia illud publicum iuramentum in Regno Tunkini ſuſpectum eſt de cultu Idololatrico ob vſum communem iurandi per Deos falſos, & ab hac ſuſpicione purificatur per proteſtationem, quæ publicè dicat coram multitudine ſe iurare per Regem ſupernum, quia ipſe ſolus Deus verus eſt, & non indiget alia declaratione.

Teſtimonium R. P. Fr. Dominici Sarpetri.

Extat impreſſus Tractatus P. Fr. Dominici Sarpetri Dominicani Miſſionarij antiqui Sinenſis, de vſu vocum, quibus Deus in Sina appellatur &c. fuitque idem tractatus Eminentiſs. DD. Cardinalibus iam exhibitus, & habetur etiam hic originale propria eius manu ſcriptum.

RRR

Teſtimonium de facto RR. PP. S. Dominici Miſſionariorum in China.

Cum Su Chriſtiani Sinenſis teſtimonium datum P. Antonio de Barros S. I. Miſſionario in China.

Teſtimonium, quod accepi à quodam *Cum Su* Chriſtiano, qui ex Fokien venit in Curiam Pekinenſem, Spe Litteratorum Præfecturam obtinendi, eſt huiuſmodi:

Patres Dominicani in illa Fokien Prouinciæ parte, quæ ad oram maritimam contermina eſt Prouinciæ Chekiam, habent ſuas Eccleſias, & in eis publicè expoſitas tabellas illas celebres *Kim tien*, à quibus tamen metu Idololatriæ ſubſcriptionem Imperatoris, & ſigillum expunxere &c.

Oſtendi ſupradicto Chriſtiano declarationem Imperatoris: eâ perlectâ exclamauit maximo ſolatij indicio, & animi commotione. Nunc poterunt omnes amplecti legem Creatoris! ideo, dicebat, mei filij, & alij bene multi, præcipuè Litterati, huc vſque non fiunt Chriſtiani, quia Patres prohibent debitam Confucio, & Auis reuerentiam, ac gratitudinis obſequia.

Seruus in Domino.

Antonius de Barros manu propria.

Ego infraſcriptus V. Prouincialis S. I. V. Prouinciæ Sinenſis teſtor hoc teſtimonium propriâ eius, qui hic ſubſcribitur

bitur manu fuiſſe ſcriptum. Pekini 27. Nouembris 1701.

Antonius Thomas.

Locus † Sigilli.

Ex Epiſtola P. Ioannis Pauli Gozani S.I. data NanKini 28. Nouembris 1701. iam citata in hoc Summario num. 6. litt. OO.

SSS
Teſtimoniũ de alio facto eorumdem PP Dominicanorum.

Quod PP. Dominicani habuerint in ſuis Eccleſijs litteras *Kim Tien* eſt extra dubium; ipſemet P. Fr. Maginus Ventallol in vna ſua Epiſtola, quam præterito anno ſcripſit ad P.Beauuollier,id de ſe fatetur, addendo tamen, quòd habuerit dictas litteras cum explicatione, ſeu proteſtatione &c.

Habetur item hìc libellus R. P. Fr. Ioannis Baptiſtæ de Morales, & alij quidam libri impreſſi à RR. PP. Dominicanis in lingua Sinica, in quibus vocem *Tien* pro Deo vſurpant.

Teſtimonium R. P. Fr. Io: Baptiſtę de Morales, & aliorũ Dominicanorum.

Extant impreſſi varij Tractatus PP. Societatis antiquorum Miſſionariorum Sinenſium, vt Brancati, Le Faure, Intorcettæ, qui de vſu earumdem vocum *Tien*, *&* *Xamti* ſatis fusè diſputârunt.

TTT
Teſtimonia *PP. So*cietatis Miſſionariorum Sinenſium.

Extat item Tractatus manuſcriptus P. Adriani Grelon.

Item tractatus manuſcriptus P. Dominici Gabiani.

Item alius P. Aloyſij Buglij.

Item alius P. Sebaſtiani de Amaya, ex quo excerpta iam ſunt loca pro iiſdem vocibus à D. Aduocato Sardini in ſuis Memorialibus Sac. Congregationi anno 1701. oblatis.

Præterea hìc habetur nouus Tractatus è China allatus compoſitus à P. Emmanuele Laurifice Miſſionario Sinenſi, & nunc Viſitatore Iaponię & Sinarum, propria eius manu ſcriptus, cuius titulus eſt: *Breuis, ac reſtricta elucubratio*, in qua tùm ratione, tùm veterum auctoritate, plurimiſque teſtimonijs probatur, priſcos Sinas non fuiſſe penitus ignaros Supremi Numinis, creberrimè item voce *Tien Cælum & fuiſſe* vſos, quod diſtinguunt in materiale viſibile, & immateriale inuiſibile, atque Supremum, ſub quo nomine venerantur *Xam ti*, Supremum ſcilicet Imperatorem Deum &c.

VVV
Teſtimonium Imperatoris Sinenſis, ac Sinenſium Litteratorum.

Oblatus eſt Sanctiſſimo, & Sac. Congregationi de Propaganda liber iam citatus num 7. ſub litt. RR. cuius titulus eſt: *Bre-*

Breuis relatio eorum, quæ ſpectant ad declarationem Sinarum Imperatoris Kam Hi &c. in quo Libro continetur Decretum Imperatoris, quo inter alia declaratur, per voces *Tien*, & *Xam ti* intelligi Cæli, Terræ, *rerumque omnium originem, Auctorem, & Dominum &c.*

Ibi præter alia ſub nouem paragrahis relata teſtimonia, habetur teſtimonium num. 10. Literati Sinenſis nominati *Li*, qui per triginta, & ampliùs annos occupatus fuit in Palatio ab Imperatore in componendis libris tùm Tartaricis, tùm Sinicis, de ijs præſertim, quæ pertinent ad varias Religiones, ſeu Sectas, quæ in eo Imperio vigent, qui etiam vertit Libros P. Matthei Ricij de exiſtentia Dei è Sinico in Tartaricum. Itemque librum P. Aleni de rerum omnium vera origine &c. Is pluries aſſeruit, in libris illis relucere *genuinam veterum Sapientum Sinarum de colendo Cœlo, ſeu Xam ti doctrinam*, ac perfectam eius quoad hoc cum Chriſtiana Religione conformitatem &c. & ea quidem claritate, ac ſoliditate, *vt vel ipſum Litteratorum vulgus ex ipſius libris* (ſcilicet P. Riccij) *tanti momenti veritatem magna facilitate, & cum euidentia intueri poſſit.*

Habentur in eodem Libro ſub finem plurimi textus Sinici hoc ipſum de vocibus *Tien*, *& Xam ti* demonſtrantes.

Poſſent etiam afferri plurima alia Imperatoris moderni dicta, & facta, quæ narrat P. Antonius Thomas in vno tractatu è China recèns allato.

XXX
Aliud Teſtimonium eiuſdem Imperatoris ex Libro Xu Kim impreſſo anno Imperij ſui 19.

Ex Commentario ge Kiam Xu Kim *qui nomine Imperatoris moderni* Kam hi *impreſſus eſt, in librum Claſſicum* Xu Kim, *ideſt de faſtis Imperialibus.*

Ibi Tom. 1. fol. 22. *Xam Ti eſt Cæli Spiritus ſumma Maieſtate excelſus.*

Tom. 4, fol. 2. *Imperator Kie peccauit in Cælum; iam verò cùm Cœlum mihi præceperit, vt eum plectam, & cùm ego clarum Xamti, ſeu Supremi Domini mandatum timeam non audeo eius ſcelera non plectere.*

Ibidem fol. 16. *Xam ti vocatur Cœlum, ſeù Tien.*

Ibidem fol. 17. Ille Rex *Xam ti* dum in principio producere cœpit omnes homines, infudit illis rectiſſimam agendi regulam, eſtque id, quod vocatur *Chum*.

Tom. 6. fol. 54. Iſta recta ratio à Cœlo venit &c, quanto autem magìs id debet præſtare Princeps in docendo, quia eius documenta verè ſunt *Xam ti*, ſeu Supremi Domini docu-

Digitized by Google

documenta, *Xam ti* quidem non loquitur, ſed eius nomine loquitur Princeps.

Ex Commentario ge Kiam Su xu, *ideſt in quatuor Libros Claſſicos, qui eiuſdem Imperatoris* Kam hi *nomine impreſſus eſt.*

Aliud eiuſdem Imperatoris.

Tom. 3. fol. 31. Explicans hunc Textum Libri *Chum yum*: Illa *Cæli lex proh! quam arcanè ſinè intermiſſione agit!* ſic ait: Illa Cœli lex arcana, myſterioſa, ſenſu imperceptibilis. *in qua reſidet Xam ti (ſupremi Domini) iuſſio, ac Prouidentia, nunquam ſuum curſum ſiſtit.*

Doctor, & primus Imperij Miniſter Siu Quam Ki *in ſuo Libello impreſſo* Pie vam, *ideſt errorum refutationes. fol. 4. ibi.*

YYY
Teſtimonia Litteratorum Sinenſium Chriſtianorum.

Sine diſcrimine Xam ti *eſt viuorum, & mortuorum Dominus.*

Doctor Fum ym Kim in Epiſtola impreſſa præliminari Libri P. Riccij Tien Chu Xe y. *fol. 1. ibi.*

Aliud Teſtimonium alterius Chriſtiani.

Deus, ſeu *Tien chu* quid eſt? Reſpondet: eſt *Xam ti*, *intelligendo non inane, ſed verum, & reale ens. Ecquis ſanè eſt, qui exiſtimet, ens inane, & vanum dici, dum ſex noſtri Libri Claſſici antiqui, quatuor Doctores, Confucius, Memcius, Cu ſu, Cem cu, omneſque cuiuslibet æui homines, litteris, & virtute clari dicunt, Timere Xam ti, cooperari Xam ti, inſeruire Xam ti, accedere ad Xam ti (Supremum Dominum &c.*

Doctor Yam Tim Yun, *qui primam ſui curſus lauream adeptus erat, in impreſſa Epiſtola præliminari ad Librum P. Pantoja* Cie Ke. *Ibi fol. 6.*

Aliud alterius Chriſtiani.

Chriſtiana Religio hæc duo maximè complectitur. Primum colere vnum Deum (ſeu *Tiencbu*) ſuper omnia. Secundum amare Proximum ſicut ſe ipſum. Quoad primum *colere vnum Deum, eſt illud; quod noſtri Doctores vocant palam inſeruire Xam ti, ſeu Cœli Domino, aut Supremo Domino.*

Sic idem Doctor paſſim vocat Deum Tien. aut *Xam ti* in ſuis Libris *Tien Xe mim pien, & tay y*

Do-

Digitized by Google

Doctor Li chi ['ao *in epiſtola impreſſa præliminari Li ?lli* Xim Xui Ki yen.

Hic Doctor in ſuis alijs epiſtolis præliminaribus librorum Tien *Chu xe y*, & *Ki gin Xe pien* ſæpius vocat Deum *Xam ti*.

Ibi fol. 1. Illa Religio (Chriſtiana) vnicè ſpectat ſeruire Deo, ſeu *Tien chu*, & hoc eſt, *quod noſtri Doctores vocant noſſe Cælum, ſeruire Calo, ſeruire Xam ti*.

Aliud alterius Chriſtiani:

Doctor Chin y *in epiſtola impreſſa præliminari ad librum* Sim hio Cu Xo. *Ibi fol.* 2.

Noſtri Doctores obſcurè loquendo dicunt *Cælum*, ſeu *Tien*; *Europæi clarè loquendo dicunt Dominum Cæli, ſeu Tien chu*.

Aliud alterius Chriſtiani:

Licentiatus Chu Cum yuen *in ſuo Libro impreſſo* Chim Xi Lio Xue. *Ibi cap.* 2. *fol.* 4.

Idem ibidem, & in alio ſuo Libro *Ta Ke ven* vocat Deum *Tien*, ſeù Cælum, & *Xam ti*, ſeù ſupremum Dominum:

Debet ergo eſſe illius Cęli, ac terræ aliquis effector, qui quatenus ſummam maieſtatem nulli alteri prorsus comparabilem habet, dicitur *Xam Ti* (*Xam ideſt Supremus*, *Ti ideſt Dominus, ac Rector*) *quatenus omnes res apprehendit, & dicitur rerum effector, quatenus omnibus viuentibus dominatur, eaque regit, dicitur Tien chu, ſeu Cæli Dominus*.

Aliud alterius Chriſtiani:

Han Lin Literatus celeberrimus ex Prouincia *Xan ſi* in Libro impreſſo, cuius titulus eſt *To Xu*, *ideſt explicatio doctrinæ breuis ab Imperatore ſingulis menſibus ad Populum tradi iuſſæ*. Qui Liber reuiſus fuit ab octodecim Literatis ex octo diuerſis Chinæ Prouincijs, quorum nomina extant in fronte Libri, idemque magnopere laudatur in epiſtolis præliminaribus à Prouinciali Iuſtitiæ Præſide, & alio Doctore Collegij Regij, qui illum Imperatori legendum tradidit.

Ibi in principio.

Dum dicitur, quòd Cælum ſit noſter magnus parens, iuxta hunc libri carminum locum: *ampliſſimum, & altiſſimum Cælum tu diceris hominum parens*, id non intelligitur de Cælo ceruleo, & viſibili, *Sed ſurſum eſt vnus Dominus, ac Rector, qui Cælum, Terram, ſpiritus, homines, & omnia produxit, ideſt ſupremus ille Dominus Xam ti, quem quinque libri Claſſici tempore Imperatorum yao, & Xun, ac trium primorum Imperiorum hia, Xam, cheù, ſucceſſiuè ſemper tradiderunt*, dum autem ad vocandum Cœlum adhibetur

Digitized by Google

betur Cęlum viſibile, eſt ſicut dum ad vocandum Imperatorem adhibetur Aula Imperialis: In hac enim ſumma Maieſtas reſidet, enimverò quomodo poſſit illud Palatium materiale ſuſtinere perſonam Imperatoris? Priſci, & moderni Imperatores, virtute, ac ſapientiâ conſpicui, ſunt omnes à Cœlo creati ad regendos, & docendos ſuos Populos; Hinc Imperator dum oblationem facit excelſiſſimo Cœlo Xa*m ti*, licèt ipſe ſumma Maieſtate potens, in verborum tamen formula ſic ſe ipſum vocat: *Ego hæres Cęli filius, tuus Vaſſallus N. N. &c.*

Licentiatus Cham Kem ex Prouincia FoKien in prœmio ſui Libri Tien hio Chim fu *Ibi fol.* 1. Aliud alterius Chriſtiani;

Ecquis nunc Litteratus ſiuè doctus, ſiuè indoctus, *auſit falſitatis, aut prauitatis condemnare doctrinam Cælo, ſeu Tien inſeruiendi; Verum hoc Tien, ſeu Cælum non eſt iſtud Cælum viſibile, & ceruleum, ſed in hoc habetur verus Dominus, & Rector, ac multi id non ſolent examinare.* In magno autem Occidente Viri, Sapientiâ, & Virtute inclyti *ab antiquis temporibus huc vſque ſemper eum vocauerunt Tienchu, ſeù Deum, nomen omni bonore celebrandum.* Porro Doctor *Chu hoei*, ſeù *Chu hi*, dum in ſuo Commentario Libri *TeKim* explicans vocem *Tì.* ſeù Xa*m Ti* ſic ait: *Ti* ideſt *Cæli Dominus*, & *Rector*, verè cum illis concordat. Noſtri quidem Libri Claſſici, *Kim*, & alij quatuor *Su Xu* etiam Claſſici, non dicunt apertè *Tien chu*, ſeù Cæli Dominum, ſed tantum dicunt *Tien*, ſeù *Cælum*, *quia nimirum vtuntur compendioſa loquendi methodo, ſicut dum vulgus vult dicere Vrbis, aut Oppidi Gubernatorem, per Syncopem eum nominat Vrbem, aut Oppidum &c. nomen* Xa*m ti eſt tantum diuerſum à nomine Tienchu quoad vocem, vtrumque enim idem ſignificat*

Poſtea id probat ex multis Librorũ Claſſicorum textibus;

Licentiatus Kieu chim in epiſtola manuſcripta, quæ citata eſt ſupra ſub litt. BBB. Aliud alterius Chriſtiani:

Ibi fol. 4. Præterea id, quod China vocat *Tien*, ſeù Cœlum, eſt ipſe Deus (ſeù Tien Chu) *Quod enim dicitur, quod me nouit nonne eſt Cælum? & Cælum ſi voluiſſet illam Principis Ven Vam rem litterariam interire, & ſimilia, non intelligitur aliqua inanis ratio (li dicta) nec etiam intelligitur tantùm aura materialis; Item dum dicitur reuereri Cęlum, Kim Tien, non erratur, per id, quod Litterati Sinenſes vo-*

H cant

tant Xam Ti, verè ſignificant Tien chu, ſeù Deum omnia ſcientem, & Omnipotentem nec eſt id, quod Bonzij, & Taoſu vocant *yohoam* Xam Ti, ſeù pretioſum Principem, Supremum Dominum, nempe Idolum.

Aliud alterius Chriſtiani;

Bacchalaureus Li Kieu cum *in ſuo Libro impreſſo* Xin Su, *in cuius fronte ſunt appoſita nomina octo Litteratorum, qui eumdem librum reuiſerunt. Ibi art. 1. fol. 2.*

In eodem Libro ſæpiſſimè vtitur ipſo nomine *Xam ti* ad appellandū Deum;

Iſtud nomen Xam ti, quod noſtrorum Doctorum *Libri paſſim habent, procul dubio manifeſtè ſignificat Tien chu* (*ideſt Deum.*)

Idem in ſuo tractatu manuſcripto Sinico Ven ta guei chao. *Ibi tom. 4. fol. 17.*

Idem;

Dum in Claſſicis libris Carminum, & faſtorum Imperialium dicitur *Xam ti*, ſeu *Cæli Dominus, Cæli Domini aula, palam inſeruire, colere, obtemperare Cælo, numquid non per hoc intelligitur Deus* (*ſeù Tien chu*) *& illum colere?*

Idem:

Tom 1. fol. 1. eiuſdem Tractatus. Dum ſapientes loquuntur de Cælo, *aſſiduè illi attribuunt legem, & prouidentiam habere indicant, non tamen vocant Tien chu, ſeù Cæli Dominum, ſed tantum Cælum, nimirum id omnino idem eſt, ac dum volumus indicare Imperatorem*, dicimus Palatium Imperiale, per Palatium Imperiale intelligimus illum ſummum Dominum, qui intus in illo habitat.

Baccalaureus yen Mu tim *in tractatu ſuo Sinico manuſcripto de* Xam ti, *&* Tien *ſub titulo* Ti Tien cao. *Ibi fol. 7.*

Aliud alterius Chriſtiani:

Quem antiqui in ſuis Libris vocant *Xam ti*, eſt is, quem Europæi nominant *Tien chu*, ſeù *Deum*, Illi dicunt de Xam ti, *ille maximus*, ſeù *ille Princeps*: dicunt: *Princeps ſummus, ſeù Rex: en ſuprema Dei Maieſtas, dicunt de Xam ti: eſt immenſus, eſt ampliſſimus; en inexhauſta Tienchu (ſeu Dei) ſubſtantia: dicunt, quæ ad ſummum Cælum pertinent, ſunt vocis, & odoris expertia, ſeù ſenſu imperceptibilia; en pura, ac ſimplex Dei ſpiritualitas; dicunt illa Cæli lex prob! quàm arcanè ſuum curſum nunquam ſiſtit! en Dei æternitas: Dicunt de Xam ti, quòcumque eas, quòcumque progrediaris illùc aduenit; dicunt: ſiuè aſcendendo, ſiuè deſcendendo, ſemper huic rei adſtat:* dicunt: *hùc reſpicit: en Dei infinita*

nita ſcientia, & immenſitas, dicunt de Xam ti, nihil eſt, quod non poſſit ille impedire, nil quod non poſſit vincere: en Dei Omnipotentia: dicunt habet tremendam grauitatem, prodit ſuam mentem, eſt perſpicax, ac intelligens, eſt terribiliter iratus: en perſpicaciſſima Dei intelligentia, ac tremenda poteſtas &c. dicunt: producit omnes homines, infundit hominibus internam naturæ rectitudinem, en vt Deus eſt hominum, & naturæ noſtræ Parens: dicunt: Bonos beat, prauos affligit, benè agentibus bona, malè agentibus mala immittit, amat virtutem, odit vitium, bonos remuneratur, malos caſtigat; Cœlum hominibus compatitur, quærit bonum Populorum regimen; Cæli lex illum puniuit, immittit calamitates in Terram. En ſumma Dei miſericordia, & ſumma Iuſtitia &c. Non eſt igitur dubium quin, quem illi antiqui vocant *Xam ti*, ſit is, *quem Europæi nominant Tien chu, ſeù Deum &c.*

Ex epiſtola P. Antonij Thomas S. I. Vice-Prouincialis Sinarum data PeKini 18. *Nouembris* 1701, *P. Franciſco Noel S. I. &c.*

ZZZ Teſtimonia litteratorum Infidelium;

Die 16. miſi &c. Mitto inſuper inſignem Tractatum Sinicum deſumptum ex Libris Claſſicis labore, & ſtudio P. Bouuet | de *Tien*. Valdè illum laudant Literati Sinenſes. Teſtimonia de eo præcipuorum Doctorum breuì mittentur, ac fortè ipſius Imperatoris, ſi opportunum fuerit petere tempori, curabimus breui imprimi cum approbationibus, neque enim conuincit ſolùm Europæos, ſed maximè ipſos Sinenſes. Sanè *Vam lao ye*, aliter *He Hen* inſignis Litteratus, Tartarus, qui res noſtras ad Imperatorem deferre ſolet, poſtquam his diebus accuratè legit, mihi hodiè dixit, manifeſtum, & clarum eſſe ex textibus, à ſapientibus antiquis Deum cognitum fuiſſe, quem Chriſtiani adoramus, & nominamas *Tien chu*.

PeKini 18. Nouembris 1701.

Seruus humillimus in Chriſto.
Antonius Thomas.

Aliud alterius Litterati Infidelis:

Litterati, *yu bien bj*,& eius filius *Texin iu* in nouo Dictionario impreſſo dicto *Kiai xim pin Cu Cien* in littera *Tien*.

Explicantes vocem *Tien*, ſeù Cœlum per vocem *li*, ſeù *ratio*, quæ auræ vitali coniuncta eſt, pene vno verbo exhauriunt illius ſenſum. Verùm in illius medio neceſsè eſt, *vt ſit aliquis certus Dominator, qui poſſit arcana virtute homines ſtabilire*. Liber enim faſtorum Imperialium Cap. *tay Kia* ait: Cœlum non amat omnes, ſed qui ipſum colunt, hos tantùm amat, & Cap. *Hien yeu ye te*: Non eſt temerè Cœlo fidendum, eius diſpoſitio facilè mutatur, & Cap. *y biun*, benè agentibus mille bona, malè agentibus mille mala immittit. *Iam verò ſi in illius medio hæc tantùm ratio actiua, & hæc aura vitalis exiſteret, nec omnino eſſet vnicus, & intelligentiſſimus verus Rector*, dùm prædictus liber dicit: *Non amat, ſed tantùm amat, ecquis quæſo ille foret?* dum *rursus dicit*: *Non eſt temerè Cœlo fidendum, eius diſpoſitio facilè mutatur, immittit bona, & mala, ecquis ſanè ille foret? Numquid ergò eſt ille, qui vocatur Rex Regum Xam ti?* Nos verò qui ſub continuo eius aſpectu hìc deorsùm degimus, non tantum non ſcimus omni timore, ac tremore tremendam Cœli maieſtatem reuereri, ſed etiam audemus noſtro exiguo Iudicio, & peruerſo corde noſmetipſos opponere *iſti Cœli Dominatori*. Quænam ſanè maior ſtupiditas fingi poteſt?

Aliud duorum Litteratorum Infideliũ

Litteratus *Ma Quei yu* in opere *ven hien tum cao*, ideſt vniuerſale examen omnis rei Litterariæ, & Litteratorum.

Sermo eſt de Iudæis

Ibi tom. 339. fol. 3. Qui ſequuntur Regni *Ta xe* leges, per Tribus, iuxtà cuiuſque familiam diſtribuuntur, proptèr leues culpas non ſe inuicem perturbant, non comedunt Carnem Porcinam, Caninam, Aſininam, Equinam &c. non ſe proſternunt humi coram Rege, nec coram Parentibus, non credunt Spiritus (ſeù Idola) *tantùm Cœlo (Tien) ſuas faciunt oblationes*; Mos eſt inter illos, vt ſeptimo quoque die nil vendant, nil emant, nec negotientur &c.

Ibibem fol. 19. De Legatis miſſis in Chinam ex Regno *Ta Xe* ſub Imperio *Tam*: *Illi Populi* inſeruiunt Cœli Spiritui &c. Imperante *Hien Cum* primo eius Imperij anno, *Cay yuen* dicto, rurſus illi legati venerunt, & Equos Vittaſque ſubtiliſ-

tiliſſimas pro munere obtulerunt. Admiſſi ad affatum, non fecerunt reuerentiam, humi ſe proſternendo &c. poſtea cum eſſent valedicturi, dixerunt: in noſtro Regno *tantùm nos proſternimus humi coràm Tien, Cælo*, dum alloquimur Regem coràm illo non proſternimur.

Habetur item Tractatus Sinicus recens compoſitus, in quo omnia præcipua prædicata, & perfectiones, quas ſinæ Supremo Cæli Domino attribuunt, exponuntur, qui tractatus compoſitus eſt à Patre Ioachimo Bouuet Miſſionario ſinenſi S.I., de quo ſuperiùs fit mentio ſub litt. ZZZ.

Tractatus inſuper, ac Libri Sinici iam citati in hoc præſenti Summario, alijque plurimi recens de China allati, hîc habentur.

Habemus etiam hîc Librum Sinicum impreſſum de Ritibus, qui ſolent obſeruari in Funeribus Crhiſtianorum.

Itèm alium Librum Sinicum impreſſum explicantem eoſdem Ritus, & reprobantem ſupeſtitiones, quæ admiſcentur à Gentilibus; Quem librum ipſemet Imperator vidit, examinauit, & approbauit, additis manu propria aliquot annotationibus.

Itèm habemus Libros Sinicos Patris Thomæ Maioris impreſſos Manilæ, & alios aliorum RR. PP. Sancti Dominici.

Digitized by Google

RESPONSA

Sac. Congregationis Vniuerſalis. Inquiſitionis.

A SS.MO D.N. ALEXANDRO VII.

APPROBATA.

Ad quæſita Miſſionariorum Soc. IESV apud Sinas

ANNO DOMINI MDCLVI.

AB aliquibus in Regno Sinarum Miſſionarijs propoſita fuerunt anno 1645. Sacræ Congregationi de Propaganda Fide infraſcripta, & alia quamplurima quæſita, quæ Sacræ Congregationi Supremæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis de mandato Sanctiſſimi tranſmiſſa, ſingula fuerunt à Theologis qualificatoribus qualificata, & vnicuique ſuum reſponſum adaptatum in hunc qui ſequitur modum.

Et primò. Vtrum Chriſtiani Chinenſes ſint obligati ad obſeruantiam iuris poſitiui quantum ad Ieiunia. Confiteri ſemel in anno, & communicare, feſta ſeruare eo modo, quo obligantur Indi in noua Hiſpania, & Inſulis Philippinarum iuxtà diſpoſitionem Papæ Pauli Tertij pro Indijs Occidentalibus. & Meridionalibus.

Cenſuerunt, ius poſitiuum Eccleſiaſticum de Ieiunijs abſolutè obligare Chinenſes Chriſtianos, & à Miſſionarijs hoc eſſe illis enunciandum: Attenta verò Regionum, & Perſonarum qualitate locum eſſe (ſi Sanctiſſimo placuerit) diſpenſationi, quæ fuit aliàs à felicis recordationis Paulo Tertio Indis conceſſa, qua obtenta ſatagant Miſſionarij S. M. E. Pietatem illis patefacere, quibus ea, quæ in vniuerſum indixit, magna ex parte benignè remittit, & indulget.

Cenſuerunt etiam præfatos Chinenſes obligari ad Sacramentalem confeſſionem ſemel in anno, & Miſſionarios huiuſmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorſus cenſuerunt quoad Sacram Communionem ſemel

in

in anno ſumendam: Quod verò ad executionem tempore ſtatuto, hoc eſt in Paſchate, id eſſe intelligendum, niſi legitimum adſit impedimentum, aut graue periculum immineat. Curandum tamen vt infrà duos, vel tres menſes, ante, vel poſt, Paſchati proximos, quatenùs ſine diſcrimine fieri poſſit; ſin minùs alio quouis tempore infrà decurſum vnius anni à Paſchate inchoandi omninò communicent.

Demùm cenſuerunt Chinenſes ad fidem conuerſos teneri omninò feſta ſeruare, Miſſionarios etiam teneri hoc eis notificare, locum tamen eſſe (ſi Sanctiſſimus annuat) limitandi eis numerum dierum feſtorum, iuxtà formam Priuilegij à Paulo Tertio Indis conceſſi.

Secundò. Vtrum in prædicto Regno Miniſtri Euangelici pro nunc ſaltem in Sacramento Baptiſmi poſſint abſtinere ab imponendo Mulieribus Oleum Sanctum Cathecumenorum, ſputum in auribus, & ſal in ore. Inſuper, & non adminiſtrare eiſdem Mulieribus Sacramentum extremæ Vnctionis. Et ratio dubitandi eſt, quia Chinenſes magno zelo ducuntur erga Vxores, filias, & alias Mulieres, & ſcandalum ſumunt ex huiuſmodi actionibus.

Cenſuerunt. Et Sacramentalia in Baptiſmo Mulierum eſſe adhibenda, & extremam Vnctionem eſſe Mulieribus conferendam; Nec ſufficere motiuum in dubitatione expreſſum, vt Miſſionarij (quantum in ſe eſt) ab his abſtineant: Curandum ergo, vt tàm ſalubres Ritus, & Cęremoniæ introducantur, & obſeruentur, ac Miſſionarij tali circumſpectione illas adminiſtrent, omneſque talibus inſtruant documentis, vt ab omni ſuſpicione inhoneſtatis liberentur.

Octauo. In prædicto Regno habent Chinenſes quemdam Magiſtrum in Philoſophia morali litteratum, qui olim diſceſſit à vita, vocatum Kum fù cù, qui ob Doctrinam, Regulas, & Documenta, adeò in toto Regno acceptus eſt, vt tàm Reges; quàm omnes alij cuiuſcumque conditionis, & gradus ſint, ſibi proponant imitandum, & ſequendum, ſaltèm quoad ſpeculatiuum, & tanquàm Sanctum venerantur, & laudant, in omnique Ciuitate, & Villa præfato Magiſtro Templa ſunt erecta: Gubernatores verò bis in anno tenentur in eius Templo ſolemne ſacrificium offerre, Sacerdotis ipſimet gerentes Officium, & ſinè ſolemnitate in anni decurſu, bis in menſe, concurruntque cum illo aliqui ex Litteratis pro adminiſtratione eorum, quæ in tali ſacrificio offerunt; quæ quidem ſunt, Sus vnus in-

teger

Digitized by Google

teger mortuus, Capra vna integra, Candelæ, Vinum, flores, odores &c. Item omnes Litterati quandò accipiunt gradum, debent ingredi Templum iſtius Magiſtri, & facere genuflexiones, & offerre ante eius Altare ex Candelis, & odoribus. Totus iſte cultus, ſacrificium, & reuerentia ſecundùm omnium illarum Gentium formalem intentionem dirigitur in gratiarum actionem pro bonæ ipſis relictis doctrinæ documentis, atque vt ab eo impetrent ex ipſius meritis, optimi ingenij fœlicitatem, ſapientiæ, & & intellectus: Queritur vtrum Gubernatores, qui Chriſtiani ſunt, vel fuerint, & Litterati, vocati, & coacti poſſint ingredi præfatum templum, facere tale ſacrificium, vel aſſiſtere huiuſmodi ſacrificio, vel facere genuflexiones antè Altare illud, vel accipere aliquid de Idolothytis, & oblationibus illis? maximè quia putant illi Infideles, quod quicumque manducauerit ex talibus Idolothytis, habebit progreſſum magnum in ſuis litteris, & gradibus; & ſi portantes Crucem in manibus poſſint licitè hoc facere, eo modo, quo dubitatione ſuperiori dictum eſt? quia ſi hoc illis prohibetur erit tumultus in Populo, Miniſtri Euangelij in exilium mittentur, & conuerſio Animarum impedietur, & extinguetur.

Cenſuerunt non licere, nec poſſe aliquo prætextu contento in dubio Chriſtianis permitti.

Nonò. Inuiolabilis obſeruantiæ mos eſt apud Chinenſes, tanquam doctrina à ſupradicto Magiſtro Kum fù cù tradita, quod in omnibus Chinæ Populis, Templa conſtructa habeant Auis, & Progenitoribus ſuis defunctis dicata, & in vnoquoque eorum omnes, qui eiuſmodi familiæ ſunt, in anno congregantur, vt præfatis ſuis Progenitoribus ſolemnia ſacrificia faciant magno Cœremoniarum apparatu, & in Altari multis Candelis, Floribus, & odoribus adornato, Imaginem, ſiue Effigiem Parentis, vel Aui defuncti collocant; in quo Sacrificio inuenitur, & qui facit Sacerdotis Officium, & Miniſtri illius, offeruntque Carnes, Vinum, Candelas, odoramenta, Capita Caprarum &c. Hoc autem Sacrificium ex communi illarum Gentium intentione dirigitur, vt præfatis eorum Progenitoribus gratias reddant, honorem, & reuerentiam exhibeant, ob beneficia ab eis accepta, & ob illa, quæ ab eis accipere ſperant: Vndè ante Altare proſtrati deprecationes multas faciunt, poſtulantes ſanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, proſperitatem magnam, & vt ab omnibus aduerſitatibus liberentur: Quod quidem Sacrificium in Domibus ſuis, & in Sepulchris

pulchris Mortuorum, etiam fit, minore tamen ſolemnitate. Quæritur vtrùm Chriſtiani fictè, & exteriùs tantùm, vt ſupra dictum eſt, poſſint aſſiſtere huiuſmodi Sacrificio, vel exercere aliquod miniſterium in illo cum Infidelibus commixti, ſiuè in Templo, ſiue in Domo, vel Sepulchro, publicè, vel priuatim? vel quonam modo hoc poterit permitti Chriſtianis illis, nè, ſi omninò prohibeantur hoc facere; fidem perdant, vel vt meliùs dicam, auertant ſe ab actionibus exterioribus Chriſtianorum?

Cenſuerunt Chriſtianis Chinenſibus nullatenùs licere fictè, vel exterius aſſiſtere Sacrificijs in honorem Progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuſcumque Ritibus ſuperſtitioſis Gentilium erga ipſos, multò minùs licere circa præfata miniſterium aliquod exercere.

Cæterum, cum Miſſionarij Societatis Ieſu in prædicto Regno tunc temporis auditi non fuerint, anno elapſo 1655. eidem Sac. Congregationi de Propaganda Fide prædicta quatuor quæſita propoſuere, cum facti diuerſitate, quæ vnicuique quæſito eſt appoſita &c. Res ad eandem Sacram Congregationem ſupremæ, & vniuerſalis Inquiſitionis iubente Sanctiſſimo D. Noſtro remiſſa. Eadem Sac. Congregatio, auditis Qualificatorum votis, in ſequentem ſententiam reſpondit.

Primò quæritur. Vtrùm Miſſionarij nouis Chriſtianis, quam primùm baptizantur, debeant intimare ius poſitiuum tanquam obligatorium ſub peccato mortali, quantùm ad ieiunia, feſta ſeruare, & confiteri ſemel in anno, ac communicare.

Dubitandi ratio circa Ieiunium eſt, quia Sinæ indè ab infantia ter comedere conſueuerunt, ad quod leuitas cibi cogit. Præfecti verò ieiuni Tribunalia adire deberent, quæ frequentant ab octaua Matutina ad ſecundam poſt Meridianam, quod illis eſſet omninò impoſſibile.

Circa feſta, Confeſſionem, & Communionem, dubitandi ratio eſt, quia maxima Chriſtianorum pars laborare debet, vt victum lucretur, & ſepè coguntur Chriſtiani ab Infidelibus Præfectis, feſtis diebus ſubire varios labores. Ipſi Præfecti Chriſtiani Tribunalia frequentare debent, etiam diebus, qui apud nos feſti ſunt, ſub pœna priuationis officij.

Miſſionarij ſunt pauci numero, Regnum eſt vaſtiſſimum; Ideò quamplures Chriſtiani Miſſam audire diebus feſtis, confiteri ſemel in anno, & communiciari non poſſunt.

Sacra

Digitized by Google

Sacra Congregatio iuxta ea,quæ ſuperiùs propoſita ſunt,cenſuit : Ius poſitiuum Eccleſiaſticum quoad Ieiunia , obſeruationem feſtorum,Sacramentalem Confeſſionem,& Communionem, ſemel in anno eſſe à Miſſionarijs Sinenſibus Chriſtianis notificandum, vt obligatorium ſub peccato mortali ; poſſe tamen ſimul explicare cauſas, propter quas excuſantur fideles ab obſeruatione præceptorum; (ſi Sanctiſſimo placuerit) poſſe concedi Miſſionarijs facultatem diſpenſandi in caſibus particularibus tantùm, eorum arbitrio .

Secundò quæritur. Vtrum omnia Sacramentalia in Baptiſmate fœminarum adultarum adhibenda ſint:Quæritur iterùm; Vtrùm ſufficiat fœminis, petentibus tantum, extremæ Vnctionis Sacramentum conferre .

Quæritur iterùm . Nùm etiam petentibus negandum,cum incommoda, & pericula Chriſtianitatis totius prudenter futura præuideantur .

Ratio dubitandi eſt incredibilis apud Sinas fœminarum modeſtia,zelus,& laudabilis earum ab omni virorum , non ſolùm congreſſu, ſed, & aſpectus fuga, qua in re,niſi magna adhibeatur à Miſſionarijs cauthela,ſcandalum ingens Sinis datur , totaque Chriſtianitas euidentiſſimo periculo poſſet exponi .

Sacra Congregatio iuxtà ea , quæ ſuperiùs propoſita ſunt cenſuit : Ex graui neceſſitate proportionata poſſe omitti quædam Sacramentalia in Baptiſmate fœminarum , ac etiam poſſe omitti ipſum Sacramentum Extremæ Vnctionis .

Tertiò quæritur . Nùm accipiendorum graduum Cæremoniam , quæ fit in Aula Confucij , Chriſtiani litterati licitè agere valeant ? Nàm nullus interuenit ſacrificulus , vel ex
A Idololatriç ſecta Miniſtellus, *nihil omninò fit ab Idololatris inſtitutum , ſed ſoli ſtudioſi , & Philoſophi conueniunt . Confucium tanquam Magiſtrum ſuum agnoſcentes , ciuilibus, ac politicis Ritibus ex ſua prima inſtitutione ad merum cultum ciuilem inſtitutis .*

B *Omnes enim grauandi ſimul Aulam Confucij ingrediuntur* , in qua eos expectant Cancellarij Doctores , ac Examinatores , *ibi ſimul omnes ante nomen Philoſophi nihil omninò offerendo illas faciunt cæremonias , & inclinationes more Sinico , quas omnes Diſcipuli faciunt ſuis Magiſtris viuis*, atque ità cognitio Philoſopho Confucio pro Magiſtro, gradus accipiunt à Cancellarijs,ac diſcedunt . *Præterea Aula illa Confucij Gymnaſium eſt , & non Templum propriè dictum*

ctum, nàm clauſa omnibus eſt, prǽterquam ſtudioſis.

Sacra Congregatio, iuxtà ea, quæ ſuperiùs propoſita ſunt, cenſuit permittendas Sinenſibus Chriſtianis prænominatas cęremonias, quia videtur cultus eſſe merè ciuilis, & politicus.

Quartò quæritur. Nùm cæremoniæ, quæ ſunt ex Philoſophorum placitis circa Defunctos, Chriſtianis permitti poſſint, prohibendo quidquid ſuperſtitioſum acceſſit?

Quæritur iterùm nùm Chriſtiani ſimul cum Infidelibus conſanguineis eaſdem licitas cæremonias facere poſſint?

Quæritur iterùm, nùm adeſſe poſſint Chriſtiani, præcipuè facta fidei poteſtatione, quando Infideles etiam ſuperſtitioſa peragunt, non cooperando, aut auctorizando, ſed quia valdè notaretur, ſi conſanguinei tunc abeſſent, & eſſent inimicitiæ cauſa, ac odij. *Sinæ nullam Diuinitatem animabus* C *Defunctorum concedunt, nihil ab illis ſperant, aut petunt.*

Triplex eſt modus, quibus Defunctos ſuos honorant. Primus eſt. *Cùm aliquis moritur, ſiuè Chriſtianus ſit, ſiue Gentilis, pro inuiolabili more habetur, in domo Defuncti quoddam* D *Altare præparare, in eodemque Immaginem Defuncti, ſeù Tabellam collocare, in qua eius nomen ſcriptum eſt, cum ornatu odorum, Florum, & candelarum, retròque cadauer Pheretro incluſum ponere.* Omnes autem qui ad condolendum domos illas ingrediuntur, coram præparata Tabula, & Defuncti Imagine tèr, vel quatèr genuflectunt, humi ſeſe proſternentes, capitibus vſque ad Terram demiſſis, aliquas ſecum candelas aſportantes, & odoramenta, vt in pręparato illo Altari, ſeù potiùs Tabula coram Defuncti Imagine conſumantur, & comburantur.

Secundus modus eſt, qui fit bis in anno, in Auorum, & Pro- E *genitorum ſuorum aulis; ità Sinæ vocant, & non Templa, hoc enim Tſu tang ſonat, quæ verè familiarum memoriæ, vel monumenta ſunt*, has ſoli habent Magnates, aut ditiores conſanguinitates. In eis nullus ſepelitur mortuus, ſed in Montibus. Sola ergo intus nobilioris Proaui Imago, deindè ſupra gradus, alios alijs alteriores, diſpoſitę ſunt Tabellę ad palmi altitudinem, in quibus omnium in illa familia Defunctorum nomina, qualitas, dignitas, ſexus, ac ætas inſcripta ſunt, dieſque mortis, etiam Infantium, & Puellarum. In hac ergo Aula bis in anno conſanguinei omnes conueniunt, ex quibus ditiores offerunt carnes, vinum, candelas, odoramenta; Pauperiores autem qui has Aulas habere nō poſſunt, Defunctorum ſuorum Tabellas domi ſeruant vel in loco particulari, vel etiam ſuprà Altare, vbi Sancto-

rum

Digitized by Google

tum Imagines, qui ob loci,ac domus paruitatem alium locum non habent,quas tamen,nec venerantur,nec illis offerunt quidquam,ſed ex defectu alterius loci ibi ſunt; Cæremoniæ enim illæ ſupradictæ à Sinis non fiunt, niſi in Aula Defunctorum, quam ſi non habent, etiam cæremonias ommittunt.

Tertiùs modus eſt, qui fit ad mortuorum ſepulchra, quæ omnia in Montibus ſunt extra Mœnia,iuxta Regni leges. Ad hæc filij, aut Affines accedunt, ſemel ſaltem in anno circa initium Maij,herbas,ac gramina circa ſepulturas nata eradicant,purgant,plorant;deinde eiulantur,genuflexiones,vt in primo modo dictum eſt,faciunt, cibos coctos, vinumque diſponunt. Mox finitis lacrymis edunt, ac bibunt.

Sacra Congregatio iuxta ea,quæ ſuperiùs propoſita ſunt,cenſuit, poſſe tolerari Sinas conuerſos adhibere dictas cæremonias erga ſuos Defunctos,etiam cum Gentilibus,ſublatis tamen ſuperſtitioſis.Poſſe etiam aſſiſtere tantùm cum Gentilibus, quando agunt ſuperſtitioſa, præſertim facta fidei proteſtatione,& ceſſante periculo ſubuerſionis, & quando aliter odia,& inimicitiæ vitari non poſſint.

Feria v. Die 23. Martij 1656.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud Sanctum Petrum coram Sanctiſſimo D. N. Alexandro Diuina prouidentia Papa VII. ac Eminentiſs., & Reuerendiſſimis DD. Sanctę Romanæ Eccleſię Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana aduerſus hæreticam prauitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Facta relatione ſupraſcriptorum quęſitorum, vnà cum reſponſis, & reſolutionibus Sac. Congregationis, Sanctiſs. D. N. Alexander Papa VII. prædictus præfata reſponſa, & reſolutiones approbauit.

Loco ✠ ſigilli.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis Not. &c.

Digitized by Google

BREVIS RELATIO

EORUM,

Quæ ſpectant ad Declarationem Sinarum Imperatoris Kam Hi.

Circa Cœli, Cumfucij, & Auorum cultum,

DATAM ANNO MDCC.

Accedunt Primatum, Doctiſſimorumque Virorum, & antiquiſſimæ Traditionis teſtimonia.

Locus ✠ ſigilli.

Hæc relatio impreſſa fuit Pekini, & denuò Cantone in China anno 1701., ac ibi inter omnes Epiſcopos, Vicarios, & Miſſionarios ſtatim euulgata, vt patet ex Summ. nu. 7. & alijs documentis, quæ hic habemus.

OPERA

PP. Societ. JESU Pekini pro Euangelij propagatione laborantium.

§. PRIMVS.

Acta ante Declarationem.

AB anno 1638. cùm grauis controuerſia orta eſſet circa Ritus Sinicos, contendentibus quibuſdam illos eſſe Superſtitioſos, & Idololatricos, quos Societas IESV iam ab annis 50., vt merè Politicos permiſerat: res tanti momenti, Romam ad Sanctam Sedem, ab vtraque parte, diuerſis temporibus fuit delata: Iuxtà diuerſitatem, qua vtrinque propoſita ſunt quæſita, diuerſæ eorum reſolutiones prodierunt: ſoluta ſcilicet quæſtione Iuris, at verò Facti, in qua longioris moliminis opus erat, indeciſa relicta. Fauebat in illa pro opinione Societatis authoritas plurima Maximorum Virorum, atque etiam rationum, & textuum Sinicorum, de quo multi tractatus, & li-

bri varij prodiere : at vero cùm quæſtio rurſùm vſque Romam eſſet progreſſa, nec niſi pluribus annis, longoque labore eſſet finienda, vtraque parte, textibus antiquorum Scriptorum, pro ſenſu vero illarum cæremoniarum decertante : quærendum aliquod tantæ Controuerſiæ compendium viſum eſt, quod Suæ Sanctitati, in primis vnionem deſideranti, gratiſſimum foret; ſimulque dubium omne tolleret circa prolixam illam tot annorum quæſtionem, & anxietatem conſcientiæ quorundam inde exiſtentem.

Igitur communi conſilio Patrum Societatis IESV in Curia Pekinenſi degentium, iudicatum fuit adeundum eſſe Imperatorem, & poſtulandam eius certam, tutamque ſententiam de ſenſu vero, ac legitimo Rituum, & cæremoniarum Imperij ſui, vt conſtaret nobis, an eſſet merè politicus, an verò aliquid aliud ergà Cumfucium Philoſophum, & Maiores Defunctos contineret. Diximus certam, tutamque ſententiam, cùm ſolùm ad Imperatorem ſpectet, quid in illis agendum, quid ſentiendum, definire.

Etenim, cùm ſupremus ſit Imperij ſui Legiſlator, quo ad res, tàm Sacras, quàm Politicas, & Ciuiles : ita abſoluta eſt eius authoritas, vt toti Imperio, quid in Ritibus omnibus agendum, quid ſentiendum, abſolutè decernat, quouè ſenſu intelligenda veterum ſcripta, definiat. Accedit ad authoritatem eius definitionis, quod in Imperio Sinarum, ſummam Eruditionis famam obtineat; cui res ipſa ſatis conſentire videbitur, ſi quis multitudinem Scientiarum tùm Europæarum, tùm Sinicarum, quibus elucet, ſingillatim perpendat. Ipſe eruditos omnes, qui ex toto Imperio huc ad examen, pro ſuperiori gradu confluunt, per ſe ipſum examinat, & de compoſitionum præcellentia decernit; ſic vt nomen tantarum Scientiarum obtineat, cui pares inter ſubditos ſuos inueniri vix poſſint. At verò, ad poſtulandam eius ſententiam, non paucæ inerant difficultates vincendæ. Tales primo intuitu videbantur, vt aliquos è PP. ab illo conſilio planè deterruerint; qui de illis ſuperandis ferè deſperantes, à principio in contrariam ſententiam abierunt. Maxima ſe objiciebat, quod Imperator vir acutiſſimi, ac ſolertiſſimi ingenij, ſtatim penetrare, & penitùs noſſe voluiſſet, quam ob cauſam, Patres omnes vno ore, à ſe talem definitionem poſtularent, quo conſilio? quo fine? de eo videbatur inſtituturus multas quæſtiones, quibus fortaſsè in notitiam veniret Controuerſiarum, quæ à Vicario Apoſtolico contra Societatem mouerentur; quo ita ſuccedente, & inde malis quibuſdam fortè euentibus, ingens crimen in Societatem IESV recidebat; quaſi authoritate Imperatoris Gentilis, contra Vicarios Apoſtolicos malè abuti voluiſſet. Hæc ratio diu conſilium detinuit : omnibus omninò iudi-

can-

cantibus, tale periculum nullâ ratione adiri oportere. Sed tandem victa eſt illa difficultas, ac periculum illud planè ſublatum; quando modus inuentus eſt, quo ſine vlla Imperatoris ſuſpicione, aut vllius periculo, à ſua Maieſtate, illa deſiderata Declaratio peteretur; vti modò ex ipſa ratione proponendi conſtabit.

Re igitur rurſum cum omnibus communicata, & diligenter diſcuſſa, ac examinato illo tramite, qui tamquam ſecuriſſimus proponebatur; omnium Patrum ſententia probatum, atque concluſum, communi nomine, rem ad Imperatorem deferri oportere, ſeu poſtulandam de Rituum Sinicorum ſenſu Declaratiuam Sententiam.

Quare Dei auxilio per aliquot dies implorato, ac parato libelli ſupplicis tenore; primùm admonitus eſt ille Aulicus Mandarinus Tartarus Hesken dictus, per quem negotium ad Imperatorem deferri oportebat. Dies agebatur 19. Nouembris 1700. decretumque erat, die Præſentationis B. Virginis, libellum ſupplicem offerre. Tartarus vir in rebus Sinicis apprimè verſatus, ob ſuam Eruditionem, acutiſſimum ingenium, atque elegantiſſimum ſtylum, ab Imperatore magnoperè æſtimatus, vbi quid rei ageretur audiuit; illicò nihil dubitans, ſenſum Cæremoniarum, erga Cumfucium, & Defunctos plenè Politicum eſſe, aſſeruit, talem eſſe veterum Inſtitutorum ſenſum, eam eſſe Regni ſententiam. Inſuper interrogatus quid de voce *Tien*, ſeu *Cælum*; & *Xamti* ſentiret; ſtatim per illas, Supremum Cœli, & Terræ Authorem, ac Dominum ſe intelligere, & veteres Philoſophos, ac Reges intellexiſſe pronunciauit; ab illo, non verò à Cœlo Materiali, aut re mortua, omnia gubernari.

Sed hominem, vt ſolent hic eſſe Aulici, in primis pauidum deterrebat metus; qua ratione talem quæſtionem à nobis propoſitam Imperator acciperet: ea etenim nimium audax poſtulatio videbatur: neque in animo habebat, vlli, vel minimo periculo, noſtra cauſa, ſe exponere. Dum in ancipiti verſabatur, dubius quo euentu Imperatori decernenda quæſtio proponeretur; præſertim, cùm per illam Imperator, qui Princeps eſt inſcrutabilis, in publicum prodere cogeretur, & apertè edicere, an Verum Deum Cœli, Terræque Dominum agnoſceret, & illum, non verò Cœlum Materiale adoraret. Ecce tibi, ei fluctuanti aduenit Eunuchus, *Li* nomine, vnus ex paucis, qui Imperatori ſemper aſſiſtunt, & in deferendis mandatis famulantur. Cùm amicitia ei eſſet coniunctus Tartarus, ei rem totam propoſuit, petiturus ab illo conſilium. Feliciſſimum reſponſum reddidit; optimam ſcilicet illam propoſitionem ſibi videri, ac tutò ad Imperatorem deferri poſſe. His paucis verbis, homo auidus placendi Impe-

Digitized by Google

ratori, non confirmatus modò, ſed incitatus non parùm fuit, vt rem propoſitam perficeret: Sed ecce, dum nos accingimus ad parandum cum Tartaro illo Libellum Supplicem linguâ Tartara; Imperator cum Aula ad fluuium *Yum Tim Ho* viſitandum proficiſcitur. Id ipſum verò, quod pro eo tempore incommodum accidiſſe videbatur, opportunum fuit. Etenim Tartarus domi relictus eſt, eoque tempore, quo Imperator aberat, cùm otium ei abundaret, Libellus Supplex ab ipſo in Imperatoris aduentum lingua Tartara paratus eſt, ex Sinico ſcripto, ſummam tantùm proponendarum rerum capita continente, eidem in hunc finem à nobis tradito.

Redijt Imperator in Vrbem die 28. Nouembris; cùm verò die ſequenti opportuna occaſio data non eſſet; die 30. eiuſdem Menſis, S. Andreæ Apoſtoli feſto, conuenerunt ad Palatium quinque è Societate IESV, ſcilicet P. Philippus Grimaldi Rector Collegij, P. Thomas Pereyra, P. Antonius Thomas, Pater Ioannes Gerbilhon, & P. Ioachimus Bouuet, omniumque Patrum Pekini degentium nomine obtulerunt Imperatori Libellum Supplicem per manus duorum Aulicorum Mandarinorum, nempe prædicti Tartari, & alterius ſocij eius, cui *Cham Cham Chu* nomen eſt. Dies erat 10. Lunæ decimæ anni Kam Hi Imperatoris 39. Coram Imperatore omnium noſtrum nomine, verbo ſubiecerunt.

Scriptæ ad nos ex Europa litteræ fuerunt, auditum ibi eſſe, quidquid fama longè ſparſit de admirabili Imperatoris Sinici Magnanimitate, ſapientia, librorum intelligentia, ac perfecta in omni litterarum genere peritia; quia tamen ignorant Sacrificiorum, Rituumque Sinicorum ſenſum; poſtulant; vt claram illorum ſibi explanationem mittamus. Verùm cùm hæc materia pertineat ad ipſius Imperij Conſuetudines, nec certò ſciamus, an rectè huius Regni Senſum expreſſerimus, necnè; non audemus hoc reſponſum à nobis, ſola priuata authoritate noſtra mittere. Quare reuerenter ſupplicamus Suæ Maieſtati, vt nos ſuper ea re, docere velit.

His auditis, Imperator, acceptum Libellum Supplicem attentè legit in Aula ſua præcipua, quam *Kien Cim Cum* vocant, ſub horam octauam matutinam prædictæ diei. Huius autem Libelli tenor hic erat lingua Tartara: illum hic ſubiecimus eiſdem verbis, & characteribus, quibus oblatus eſt Imperatori.

§. II.

§. II.

Libelli Supplicis verſio, in quo continetur Declaratio Rituum quorumdam, & Conſuetudinum Sinicarum eo ſenſu, quo Socitas IESV hactenus in Sinis eas permiſit: Oblata Imperatori Kam Hi die 30. Nouembris anni 1700.

ETiamſi viri inter Europæos litterati audierint de Ritibus, quibus Sinæ honorare ſolent, Cœlum, Cumfucium, & Defunctos, Parentes: quia tamen haud intelligunt horum Rituum, rationem: his verbis ad nos ſcripſerunt. Quandoquidem Magni Sinarum Imperatoris benignitas, ac munificentia ad omnia loca peruenit, eiuſque nominis, ac Sapientiæ planè admirabilis fama, omnia omninò regna peruaſit; videtur prædictorum Rituum Conſuetudinem in aliqua ratione fundatam eſſe oportere: quare rogamus vos, vt de his ad nos ſigillatim, & diſtinctè ſcribatis. Ad hæc ſic reſpondemus.

Cùm honorem Cumfucio exhibent Sinæ, id eò faciunt, quò ſuam ei reuerentiam teſtentur, ob traditam ſibi Doctrinam; quam, cùm ab ipſo acceperint, quonam pacto fieri poteſt, vt ei pro ipſa, flexis genibus, demiſſoque in terram capite, debitum honorem non rependant? ea ſcilicet eſt vera ratio, qua orbis Sinicus Cumfucium pro Magiſtro habet, ac veneratur; & eſt genuinus ſenſus, quo Sinæ illum colunt; quod certè non faciunt, vt ab ipſo ingenium, claram intelligentiam, ac dignitates petant.

Quod ſpectat oblationes, Rituſuè, quibus proſequuntur Defunctos Parentes, ac Propinquos Fato Functos; hæc ab eis adhibentur, ad demonſtrandum debitum amorem, ac reuerentiam, erga illos, necnon gratitudinem erga authores Stirpis, ac gentis ſuæ. Propterea veteres Imperatores determinarunt Ritus Solennes, quibus quotannis, ſtatis temporibus, Hyeme, atque Æſtate exhibetur Defunctis honor, tum à filijs ergà Parentes, tum à fratribus, cæteriſque ergà ſibi amicitiæ, aut Conſanguinitatis vinculo coniunctos. Quæ inſtitutio, eo expreſsè tantùm animo facta eſt, vt ea ratione exprimatur, quantùm poteſt, ſummus in Propinquos affectus.

De Tabellis illis, quas erigunt Auis, & Maioribus ſuis, dicimus eas non ideo erigi, quòd credant Defunctorum animas in ijs reſidere, vel vt fauſta, ac proſpera ab eis petant; ſed coram illis Tabellis dapes apponunt, & oblationes faciunt, tantùm vt in, ipſis quaſi viuis, & præſentibus amorem, & reuerentiam deferentes, eo pacto demonſtrent conſtans, ac perpetuum Stirpis ſuæ authorum deſiderium.

Digitized by Google

Quod autem attinet ad Sacrificia, Cœlo offerri conſueta à Priſcis Regibus, & Imperatoribus, ſunt ea ipſa, quæ Philoſophi Sinæ vocant *Kiaoxe*; hoc eſt Sacrificia Cœlo, & Terræ dicata, quibus ipſum *Xam Ti*, ſiue Supremum Dominum, coli dicunt: quam pariter ob rationem Tabella, coram qua ea Sacrificia offeruntur, præfert hanc Inſcriptionem, *Xam Ti*, hoc eſt Supremo Domino. Vnde manifeſtum eſt, hæc Sacrificia non offerri Cœlo Viſibili, & Materiali, ſed ſpeciatim Cœli, Terræque, ac rerum omnium Authori, ac Domino, quem præ timore ſummo, ac reuerentia, cùm non audeant proprio nomine appellare; Cœli Supremi, Cœli Benefici, ac Cœli Vniuerſalis appellatione inuocare ſolent: quemadmodum vbi loquuntur cum reuerentia de ipſo Imperatore, omiſſa reuerentiæ cauſa Imperatoris appellatione, dicunt; *infra eius Throni gradus*, aut *Supremam Palatij Aulam* appellant; quæ appellationes cùm ſint diuerſæ quo ad nomen; re ipſa tamen, quoad rem nomine ſignificatam, ſunt planè vnum, & idem.

Hinc ſimiliter manifeſtè patet, Tabellam illam honorificam, nobis olim ab Imperatore conceſſam, in qua propria manu has voces ſcripſit, *Kim Tien*, Cœlum colite, reuera fuiſſe in hunc eundem ſenſum datam.

Nos homines Exteri, ac ſubditi Imperatoris; cum ſimus eiuſmodi Rituum parùm periti, ignoremuſque, an ſcriptum hoc cum veritate concordet, necne: reuerenter ſupplicamus, vt nobis, ſuper ea re dignetur Regia documenta impertiri, & reſponſum hoc, ſi in aliquo aberret à vero Sinarum ſenſu, emendare.

His perlectis, & attentè conſideratis, ac perpenſis. Imperator in hunc modum reſpondit lingua Tartara.

Quæ in hoc ſcripto continentur, optimè ſcripta ſunt, & planè concordant cum Magna [*] Doctrina. Cœlo, Dominis, Parentibus, Magiſtris, ac Pro-Auis debita obſequia præſtare, iſta orbi vniuerſo communis eſt lex. Ea, quæ in hoc ſcripto continentur, veriſſima ſunt, neque egent vlla prorſus emendatione.

[*] *Sinæ Doctrinam Cumfucij, Magnam Doctrinam appellant.*

Prædicti duo Mandarini ab Imperatore egreſſi, prout habebant in mandatis, hoc Decretum nobis Iuridicè intimarunt, coram multis præſentibus in area interiori Palatij, Imperatoris interiori Aulæ *Tam Sim Tien* dictæ vicina; & illico ſcripto exaratum exemplar alterum nobis traditum eſt, alterum inter Acta Regia ſeruatum.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Conſecuta poſt Declarationem diuulgatio.

HÆC autem Impératoris Declaratio ſtatim cum magna approbatione excepta eſt: multis mirantibus, eſſe inter Europæos litteratos, qui exiſtimarent, litteratos Sinenſes aliquid in Cumfucio, præter dignitatem Magiſtri, aut ſupra hominem litteris inſignem, agnoſcere, aut venerari; Defunctis Maioribus honores pluſquam merè Politicos exhibere. Alijs dicentibus [inter quos *Vam Tao Hoa* Aulicus in primis eruditus] ſe aliquid mortuum non venerari, quale eſt Cœlum Materiale, ſed eius, & rerum omnium Supremum Dominum, qui omnia videt, & intelligit, ſuaque Prouidentia gubernat; Talem fuiſſe ſenſum Veterum Philoſophorum, & maximè ipſius Cumfucij, tam clarum, & manifeſtum, vt negari à nemine, niſi ſcitæ veritati repugnante, poſſit. Alijs verò exclamantibus, quid? Familiæ, & Domus ſingulæ Herum ſuum habent, Ciuitates Præfectum, Regna, & Imperia Supremum Dominum, qui illa gubernet: & pro Vniuerſo non erit Dominus, qui illum cum Intelligentia, ac Prouidentia moderetur? & cum Iuſtitia regat? Atque ex ijs fuit *Siu Tao ye* inter Academicos Regij Collegij *Han Lin yuen* dicti, vir ſanè ingenij, & eruditionis non vulgaris, atque ideo vnus præ omnibus ſelectus ab Imperatore ad Algebram Europæam ſtyli Sinici puritate dilucidandam.

Poſt aliquot dies, in nouis publicis per Prouincias diuulgatis, hoc Imperatoris Decretum apparuit, quod fuit vbique, quod ſciamus, cum approbatione exceptum. Noua autem publica in Sinis, non talia ſunt, qualia in Europa noſtra, vbi omnis generis relationes congregantur. In his Sinenſibus, quæ à Curia proueniunt, vix quidquam aliud, quam Imperatoris, aut Acta, aut Decreta leguntur. Quoniam autem varijs in Prouincijs, multiſque Vrbibus prodijt impreſſa hæc Imperatoris ſententia: expedit hic genuinum, vti ad Prouincias miſſum eſt, ac diuulgatum, exemplar, ſeu textum proferre, idiomate, vti prodijt, Sinenſi.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

Digitized by Google

Senſus relationis huius publicæ ſic habet.

Præſes Tribunalis Mathematicæ Philippus Grimaldi, Thomas Pereyra, Antonius Thomas, Ioannes Gerbilhon, & cæteri Europæi, ſupplicarunt Imperatori hoc modo. Nos exteri Subditi precamur Veſtram Maieſtatem, cuius magna claritas eſt, & illuſtratio, vt quædam nos edoceat. Litterati Europæi audierunt in Regno Sinenſi, eſſe Conſuetudinem, ac Ritum, Venerandi Cumfucium, Sacrificia Cœlo, oblationes Defunctis faciendi, nec intelligunt bene harum rerum cauſam. Optant audire diſtinctam horum declarationem. Nos Subditi Veſtræ Maieſtatis putamus venerationem exhiberi Cumfucio, tanquam Magiſtro, non autem ab illo poſtulari felicitatem, bonum ingenium, aut Præfecturas eius ope obtinendas, ideòque ei cultum exhiberi. Arbitramur fieri oblationes Defunctis maioribus, ſolummodo ad prodendum erga illos amoris, ac deſiderij affectum; nec ſecundum librorum Sinicorum, ſeu Litteratorum ſenſum illos rogari, vt protegant; ſed hos Ritus fieri tantummodò, vt poſteri penitus oſtendant ſuum erga Maiores, & Propinquos affectum; & eorum memoriam. Item illam Tabellam, quæ Auis, & Propinquis erigitur, non vſurpari, quòd putent eorum animas in illis reſidere: ſed ſolùm, vt illos repræſentent, quaſi ibi adeſſent. Quò ad Ritus, quibus Cœlum colitur, exiſtimamus his ſacrificari Cœli, Terræ, & rerum omnium Autori, ac Domino; non verò viſibili fuſco flauo Cœlo. Nempe Cumfucius ait, quòd illa ſacrificia *Kiao Xe* dicta, pro intentione, & fine habeant Xam Ti, ſeu Cœli Supremum Dominum venerari, qui aliquando non vocatur *Xam Ti*, ſed Cœlum. Sicut Imperator, ſeu Supremus Dominus, ſæpe non vocatur hoc nomine, ſed dicunt; *infra eius Throni gradus, aut Supremam Palatij Aulam* appellant. Quæ quamuis nomina ſint diuerſa, tamen res ſignificata eadem eſt.

Quondam Sua Maieſtas hoc nobis beneficium fecit, vt nobis dono daret has propria manu ſcriptas litteras, *Kim Tien* (id eſt Cœlum Colendum) hæc verba, iuxta iam explicatum ſenſum intelligimus. Nos exteri Subditi parùm hæc intelligentes in hunc ſenſum reſpondemus. Verùm quia ea ſpectant ad Ritus Sinicos, non audemus propria auctoritate hoc reſponſum mittere. Proinde rogamus Veſtram Maieſtatem, vt nos docere in his velit, & cum ſubmiſſione, ac reuerentia Suæ Maieſtatis mandatum expectamus . . . Imperatoris Sententia hæc fuit; Quæ hic ſcripta ſunt: optimè ſcripta ſunt, & planè concordant cum magna Doctrina; Cœlo, Dominis, Parentibus, ac Magiſtris debitam venerationem exhibere, iſta orbi vniuerſo communis con-

Digitized by Google

conſuetudo eſt. Omnia, quæ in hoc ſcripto continentur, veriſſima ſunt, neque vllus locus eſt in eo, qui debeat emendari.

Hactenus verſio Relationis Sinenſis, quæ per omnes alias Prouincias è Curia fuit diuulgata: in qua verſione notari poſſet, quod vocabulum *Ci* applicatum Cœlo, verſum ſit in ſenſum Sacrificij, & idem vocabulum applicatum maioribus Defunctis, in ſenſum oblationis: ſed notari debet, eam vocem *Ci* latam hic habere ſignificationem, eamque vtrobique valde diuerſam; ſicut in lingua latina verbum adorare, quod applicatum Deo aliud ſignificat, quàm dum dicuntur in ſcriptura fratres Ioſeph illum adoraſſe. Quod autem applicata vox illa Defunctis, non ſignificet offerre Sacrificium, ſatis patet ex hac ipſa Imperatoris declaratione.

§. IV.

Effectus Declarationem conſequentes.

Optimos effectus habere hic poterit ea Decreti huius Imperatorij diuulgatio: cùm enim ſit ſumma, & abſolutiſſima authoritas Imperatoris Sinenſis, cuius ſolius eſt leges condere, & conditas interpretari, eius determinatio, quo ad Subditos magnā vim habet. Ac primò quidē videtur validiſſimū contra Atheos argumentum, ac pro ea authoritate, ac æſtimatione doctrinæ, quam magnus hic Princeps obtinet, aptiſſimum ad efficiendum, vt illi à ſuo Atheiſmo recedant, agnoſcantque dari Cauſam Primam, viuentem, & intelligentia præditam, à qua omnia exiſtunt, & cuius Prouidentia gubernantur. Sanè experientia oſtendit frequentiſſima, quòd ſola ratione facilè conuicti, illam verè exiſtere agnoſcant, quamuis non ideo glorificent; quantò magis, quando tantum autoritatis pondus acceſſerit. Adde, quòd de Litteratis Sinis, ſaltem multis, qui Athei ſunt, aut videntur, meritò dubitari poſſit, an verè in corde ſuo Deum eſſe negent, an verò magis ex gentis ſuperbia ad Atheiſticos ſenſus, tum in ſcriptis ſuis, tum in ſermone, proferendos pertrahantur. In illis ſanè Commentarijs, & Veterum interpretationibus, quas ſcribunt, plùs fama ingenij, quàm veritas quæri videtur; dum per cauſas naturales, omnia explicare nituntur, ſine vllo ad cauſam inuiſibilem recurſu. Quod & interdum faciunt ipſimet Philoſophi in Europa, quantùm Chriſtiana fides permittit. Quot ſunt in Philoſophia à communi veterum tramite recedentes, qui ingenij ſubtilitate, & deſiderio nominis magis, quam veritatis pondere abrepti, in acutiſſimas Sententias abeunt, etiam vltimos terminos, quos fides Chriſtiana poſuit, ſuo tramite radentes,

tes, aut etiam prementes ingeniorum, in ſcientiarum Studijs luxuriantium effecta ſunt; quæ dum fide Chriſtiana non coercentur, incitata laudis, & gloriæ cupiditate, quid mirum, ſi in præcipitia errorum, & Atheiſmi, verbo, ſcriptoque prolabantur? Quare, de eo loquendo, rectè dixit Imperator ſub finem anni præteriti. *Ea, quibus Litterati neoterici Veterum Statuta exornant, & amplificant, non ſunt, niſi quædam inuenta, & exornationes Rhetoricæ, quibus ſuum ingenij florem, & ſtyli oſtendant.*

Igitur cùm Atheiſmus ille modernorum, & Veterum Rituum corrupta, & violenta interpretatio magis in ſubtili ſcribendi conſuetudine ex innata gentis ſuperbia, quàm in certa animi perſuaſione reſidere videatur; accedente hac Imperatoris declaratione, facilè induci poterunt, vt ſuos Atheiſticos ſenſus, veros, fictoſue deponant; cùm illa per Imperium diuulgata, efficax ſit Dei exiſtentiæ prædicatio, quæ non ſine fructu, in gentilium animis eſſe poteſt, mandarinis plurimis, pleriſque litteratis, & magna plebis multitudine, eam per ipſa noua publica audiente.

Denique ea erit perpetua, publicaque totius Eccleſiæ Sinenſis ad omne Imperium proteſtatio, ab ipſo Imperatore probata, quòd in exercitio Rituum Sinicorum, Cultû merè Politicû Cumfucij, & Defunctorum, ſecundùm Regni Leges, ab ipſo Imperatore explicatas, intendat; ſublatis omnibus ſuperſtitioſis intentionibus, aut rebus, quæ non à prima Inſtitutione extiterunt, vti Imperator declarat, ſed longa temporum ſerie, vitio humanæ cæcitatis, ac naturæ prauæ, ad Idololatricos cultus inclinatæ irrepſerunt.

§. IV.

Teſtimonia Primatum, & Præcipuorum quorundam Doctorum Imperij Sinenſis de eodem ſenſu Rituum, & conſuetudinum Sinicarum.

SVfficere videbatur tam diſtinctum, authenticùmq; Imperatoris teſtimonium, vt perſuaſum eſſet, in Ritibus, & Conſuetudinibus Sinicis, de quibus controuerſia eſt, nullum alium ſenſum, niſi merè Politicum contineri: etenim cùm ad Imperatorem pertineat declarare, quo ſenſu fiant Ritus Imperij ſui; vtpote, qui eſt Legum Iuridicus Interpres, ac ipſe Legiſlator. Dubium nullum relictum eſt, per eius claram, & diſtinctam declarationem ſupra relatam, quo ſenſu eæ Conſuetudines Imperij eius intelligendæ ſint. Verùm nequid ad maiorem veritatis firmitatem deſiderari videatur; conſultum viſum eſt, exquirere inſuper

per ſuper eadem re eorum Sententiam, qui nunc temporis maxima hic florent fama nominis, & authoritate, tum propter dignitatis gradum, tum propter eminentem litterarum Sinicarum ſcientiam.

Hæc autem Teſtimonia, ne aliquando in dubium à quoquam reuocari poſſint; vna cum Declaratione Imperatoris ſeruantur in Archiuio Collegij Pexinenſis, partim eorundem Primatum, ac Doctorum ſigillo, & ſubſcriptione munita, partim authentico eorum Patrum teſtimonio firmata, qui tantùm coràm oretenus acceperunt, quando ſcilicet à tam grauibus Viris opportunum non fuit ſcripto exigere.

Primum ſit Teſtimonium Reguli, ſeu Principis magni nominis in hac Curia, fratris ſcilicet natu minoris ipſius Imperatoris, ætatis pluſquam annorum 40., qui nec venationi, nec alijs Principum recreationibus deditus, libris legendis, & acquirendæ eruditioni ad animi relaxationem, quo ad negotia otioſus, tempus, operamque impendit. Vnus è Societate IESV eum conuenit die 20. Maij anni 1701., vt ſuper Rituum Sinicorum ſenſu, eius Sententiam inquireret. Is introductus in eius Palatium, conſpectumque, & ad latus in ſtrato ſedere iuſſus eſt, ſtantibus ex aduerſo quatuor Reguli filijs. Poſt varias eius de varijs rebus interrogationes, & oſtenſam orbis delineationem, quam ipſe Princeps in paruo ventilabro artificioſè, & accuratè deſcripſerat; ei viciſſim oblata eſt illa Declaratio ſenſus Rituum Sinicorum lingua Tartara, eiſdem verbis, quibus Imperatori fuerat oblata. Legit eam attentè, & probauit. Inſuper addidit, Veteres Sinas ſuperſtitioſis Cultibus caruiſſe, qui paulatim vitio temporum in Regnum Sinenſe ſe intromiſerunt; illos ſolum *Xam Ti*, ſeu Supremum Cœli Dominum adoraſſe, nõ mortuum, ſed viuum, eoque nomine, aut etiam Cœli, verum Dei Conditorem, Rectoremque Vniuerſi intellexiſſe, quem nos Chriſtiani ſub nomine Domini Cœli adoramus, eique ſoli verum Sacrificium obtuliſſe.

Valde laudauit libros P. Mathei Ricij de Dei Exiſtentia, quos ab aliquot menſibus Lingua Tartara acceperat, & poſtmodum inſuper lingua Sinica habere voluit. Eoſdem Princeps Imperij Hæres, coram pluribus è Societate IESV pluries vltrò magnis laudibus extulerat; in quibus ſcilicet P. Riccius textibus Sinicis probat, antiquos Sinas ſub nomine *Xam Ti*, non Cœlum Materiale, ſed verum Deum Cœli, & Terræ Dominum adoraſſe.

Ait inſuper Regulus, Leges Morales, rectè viuendi traditas à Cumfucio, Legi Chriſtianæ, quam ipſe nouit, conformes eſſe, illum tantùm explicaſſe, quæ pertinent ad hanc vitam dirigendam, &

poſt

poſt illam ſecutura non attigiſſe, quia, ſi tam difficile experiebatur efficere, vt ſibi homines crederent, & ſuæ Doctrinæ aſſentirentur in rebus viſibilibus, ſibi perſuadebat multò difficilius, de rebus inuiſibilibus, quæ ſunt poſt mortem, crediturós. Demum poſt varias interrogationes de Angelis, & Dæmonibus, de ſtatu Animarum poſt mortem, de orationibus pro mortuis, alijſq; ad Religionem ſpectantibus, de quibus loquentem per duas, & ampliùs horas audiuit, adſtantibus filijs ſuis, Patrem beneuolè, & cum honore exceptum à ſe dimiſit.

Alterum ſit PerIlluſtris viri *So San Lao ye*, qui annis 10. Colaum, ſeu primum totius Imperij Miniſtrum egit, antea Præſidem Tribunalis Rituum; nunc verò Prætorianorum Præfectum, & Imperatori à Conſilijs ferè pręcipuum. Is eſt, qui anno præcedentis Sæculi 92. miſſus eſt ab Imperatore ad Tribunal Rituum, ac deinde Colaorum, vt ſuâ eloquentiâ perſuaderet, dandam libertatem Edicto Publico, Legi Chriſtianæ, ad quam ille benè affectus, ſtrenuè id præſtitit, & efficaciter eſt conſecutus.

Hic vir Primarius, à duobus è Societate IESV ſuper ſenſu Rituum, ac Conſuetudinum Sinicarum interrogatus die 21. Aprilis anni huius, ita reſpondit. Aperiam, inquit, vobis vltrò, quod rei eſt, quòdq; cenſuerunt ſemper ſuper his ſapientiſſimi quique. Cumfucius fuit vir inſignis probitatis, & doctrinæ: Imperio Sinico tradidit regulas, vitam, rem domeſticam, atque ipſum Imperium rectè inſtituendi; & propterea colitur tanquam vir eximiè probus, & ſapiens: nihil in eo fuit, neque agnoſcitur ſupra humanam conditionem. Cultus ille, ac Ritus omnes, quibus colitur à Sapientibus, ſunt valde diuerſi ab ijs, quibus coluntur Spiritus, & idola: neque enim in hoc cultu, qui ſolùm, eſt gratitudinis erga Magiſtrum, & obſeruantiæ argumentum, quidquam felicitatis, aut adiumenti ab eo petitur, aut ſperatur. Interrogatus deinde, an non ſint, qui dicant, & credant, animam Cumfucij reſidere reuera in illa Tabella, coram qua celebrantur eiuſmodi Ritus, aut in illam deſcendere, quique ab eo petant, ſperentque ingenium, ſcientiam, dignitates? id vehementer reijciens, & indignans, ait: abſit à Magna Doctrina, ſpuria illa imperitorum, & in Lege Sinica falſariorum locutio, & praxes à mente Sapientum tam alienæ.

Deinde circa Ritus erga Defunctos dicere requiſitus, quid ſentiret; reſpondit quoque, eos nullatenus coli à Sapientibus, idolorum, aut ſpirituum more, ſed Cultu Politico tantùm, ac ciuili, nihil omnino ab ijs peti, aut ſperari, nihilque aliud intendi ſolito illo reuerentiæ, ac cultus apparatu, hoc eſt, tam frequentibus corporis inclinationibus, dapibus, ſuffitu, alijſque oblationibus, immò & ipſiſmet illis Tabellis, coram quibus ſingula illa cele-

bran-

brantur; quàm vt filij, ac nepotes ſuum erga Progenitores amorem, deſiderium, & gratitudinem, quantùm in ſe eſt, ipſis veluti præſentibus teſtentur; inſuper, ait, quod iam de Cumfucij cultu dixerat, neminem poſſe, citra notam imperitiæ, aut hæreſos in Sapientum doctrina, quidquam contra hæc dicere, aut ſentire.

Denique interrogatus, quid cenſeret de *Xamti*, & de Cælo, cuius cultum, & inuocationem multum deprædicant litterati Sinæ; reſpondit, per vocem illam *Tien*, id eſt Cœlum, vbi agunt de eius cultu, & veneratione, Sapientes Sinæ, intelligi ab ijs, non quidem Cœlum Materiale, & viſibile, ſed *Xamti*, hoc eſt Supremum Cœli Dominum, qui eſt rerum omnium auctor, largitor bonorum omnium, Orbis vniuerſi Dominus, omnia videns, omnia audiens, omnia gubernans, ac denique is ipſe, quem nos Chriſtiani, ſub nomine *Tien Chu*, ſeu Cœli Domini adoramus. His deinde ſubiecit, quòd, quando iuſſu Imperatoris, pro libertate Religioni Chriſtianæ concedenda, egit apud Præfectos Supremi Tribunalis Rituum, & apud Colaos Sinas, quorum aliqui repugnabant, hac ratione vſus ſit ad perſuadendum, quòd nos coleremus eundem Supremum Dominum, quem Sinæ ab antiquiſſimo tempore ſemper coluerunt; euidens ſcilicet eſſe, eum Supremum rerum omnium Dominum, quem Europæi *Tien Chu* vocant, & adorant, eſſe eundem, quem Sapientes Sinæ ſub nominibus *Tien*, & *Xamti* venerati ſunt.

Cùm autem hic vir Primarius ſæpius ex officio adſtitiſſet Imperatori Sacrificanti in templis *Tien tan*, & *Ti tan*, hoc eſt Cœlo, & Terræ dicatis, ſiue Supremo eorum Domino, vt conſtat ex inſcriptione frontiſpicij, & Tabellæ, de quo infra, atque inſuper; cùm etiam aliquoties ab Imperatore delegatus fuiſſet, vt eius loco ſolemne illud Sacrificium offeret, de illis Templis, & Sacrificijs interrogatus, ita reſpondit. Nil, inquit, in his Templis, ac Sacrificijs agitur ſuperſtitioſum, nihil cum Idololatris commune. Nulla ibi ſtatua, aut figura; nihil aliud præter Tabellam, in qua ſcriptum eſt vocabulum *Xamti*, ſiue Supremus Cœli Dominus. Neque in ſolemni illa inuocatione, quæ Imperatoris nomine, alta voce, ex ſcripto pronuntiatur eo tempore, quo ipſe offert Sacrificium, continetur quidquam aliud, quàm ſupplicatio, quæ fit Supremo Cœli Domino, qua pro toto Imperio petuntur omnia neceſſaria ad felicitatem publicam, ac tranquillitatem.

Hæc vbi proferre deſijt, data eſt ei legenda Declaratio ſupra relata, & approbata Decreto Imperatoris; quam cùm legeret, ad ſingula capita, ita omnino ſe habet, aiebat: ea conformia ſunt ijs,

quæ vobis modò expoſui : hic genuinus eſt Rituum illorum ſenſus, verè, & diſtinctè expreſſus.

Tertium Teſtimonium ſit ab altero Primario Viro, qui ordine, & authoritate, nihil inferior eſt priori, ſcilicet *Mim Lao ye*, & pari bono affectu cum ſuo Collega Diuinam legem, eiuſque Miniſtros proſequitur. Is fuit Primus Colaus, ſeu primus, Imperij Miniſter annis 15. nunc verò Imperatori à Conſilijs, Palatij Magnatem agit. Olim Iuuenis, ob eminentem ſcientiam in litteris Sinicis, ac Tartaricis, ſummamque ingenij laudem, ab Imperatore *Xun Chi* factus Bibliothecæ Regiæ Præfectus, ad vertendos Sinicos libros in linguam Tartaricam, adhibitus fuit; ſic, vt non minori laude eruditionis, quàm ſummæ authoritatis, quam in hac Curia obtinet, per totum Imperium ſit notiſsimus, & in ſummo honore ab omnibus habeatur.

Hic vir interrogatus, quid de Ritibus Sinicis ſentiret, à duobus eiſdem Patribus è Societate I E S V, eadem die 21. Aprilis anni huius, quo ſcilicet ſenſu Cœlo, Cumfucio, atque Defunctis cultus exhiberetur, quid de ijs ſingulis ipſe, quid Sapientes Sinæ ſentirent. Ad ſingula quæſitorum capita, eodem ſenſu prorſus reſpondit, quo ſupra eius collegam reſpondiſſe retulimus, verbis ſolùm vtcumque diuerſis. Sæpius autem inculcauit, ne vmbram quidem Diuinitatis, aut poteſtatis pluſquam humanæ agnoſci à Sapientibus Sinis in Cumfucio, & Progenitoribus Defunctis, nihil ab illis peti, aut ſperari. Audiendo cum riſu mirabatur, eſſe homines in Europa, qui ſuſpicarentur, Sinarum etiam Sapientes colere Cumfucium, Auos, ac cæteros Parentes mortuos, tamquam Idola, aut Spiritus, in quibus eſſet poteſtas ipſis benefaciendi; id illis exprobrans, quòd de Sapientibus Sinis tam temerè, & iniurioſè ſentirent. Inſuper ſubiunxit, ædificia publica Cumfucio, publica Progenitoribus Defunctis non conſtrui, niſi ad ſignificandam gratitudinem, & obſeruantiam ſuam erga vtroſque, erga Cumfucium quidem, vt Magiſtrum, & Reſtauratorem Regularum vitæ humanæ conformiter rectæ rationi inſtituendæ, & Imperij rectè adminiſtrandi; erga Progenitores verò, tamquam vitæ ſuæ, ac bonæ educationis authores. Præterea ſemel, iterumque diſtinctè aſſeruit, à nemine *Magna Doctrina* bene perito credi, aut dici, animas tum Cumfucij, tum Progenitorum reſidere in illis Tabellis, *Xin Guey* dictis, coram quibus celebrantur Ceremoniales Ritus, aut in eas deſcendere: Sed prædictas Tabellas eo tantùm conſilio erigi, vt earum præſentia, oculis adſtantium obiecta ſuppleat quodammodo Cumfucij, & Progenitorum mortuorum abſentiam, eorumque excitet viuidiorem memoriam.

P. Quòad

Quoad vocabula, *Tien*, id eſt Cœlum, & *Xamti*, id eſt Supremus Cœli Dominus, eadem etiam omnino expoſuit, quæ in præcedenti Teſtimonio continentur, aſſeruitque, ſub illis nominibus à tempore antiquiſsimo coli à Sapientibus Sinis Supremum rerum vniuerſarum Dominum, omnia intelligentem, nihilque diuerſum à Deo Optimo Max., quem nos ſub nominr *Tien Chu* adoramus, & quem ipſe non ita pridem in Eccleſia noſtra adorauit. Inſuper retulit, quòd tempore Perſecutionis, quam excitauit *Tam Quam Sien* anno præteriti ſæculi 1664., cui ipſe actor, & teſtis oculatus interfuit, à pleriſque Imperij Principibus, ac Magnatibus congregatis, ita fuiſſe initio iudicatum, & ab omnibus feliciter pro cauſa Religionis iudicandum; niſi impius, ac nefarius accuſator, viſo hoc malo ſuæ accuſationis ſtatu, Sacram Chriſti Crucifixi imaginem protuliſſet, quam à Chriſtianis adorari aiebat, tamquam Supremi rerum omnium Domini; quo quidem Gentilibus doctrinæ Chriſtianæ ignaris in illo ſolemni conſilio ſuſpicionem mouit contra Chriſti Domini legem ſuperſtitioſæ cuiuſdam, ac pernicioſæ nouitatis. (Hîc autem breuiter notandum, quàm falsò nonnulli Romæ Societatem IESV infamârint, quòd Chriſti Crucifixi Myſterium occultaret; cùm eo tempore accuſator cum adoratæ Chriſti Crucifixi Imaginis obiecto crimine, tanquam noto, & publico contra noſtros prodierit, atque etiam illam Imaginem, quam ex eorum libris deſumpſerat, ſculptâ tabulâ impreſſerit, & ad opprobrium diuulgârit.)

Demum idem interrogatus de Ritibus, & Sacrificijs, in Templis *Tien tan*, & *Ti tan* celebrati ſolitis, quibus ipſe crebrò iuxta Imperatorem interfuit, & quæ etiam ipſe nomine Imperatoris delegatus ſolemni Ritu obtulit; eadem omnino reſpondit, quæ ipſius collega in priori teſtimonio relata, ſcilicet in ijs duobus Templis, quamuis Situ, loco, ac nomine diuerſis, vnum, & eumdem Cœli, ac Terræ Supremum Dominum coli; eam verò loci, ac ſitûs diuerſitatem ſolùm introductam fuiſſe ab Imperatore *Kia Cim* è Familia Tay Mim, qui anno à Chriſto Incarnato 1522. adijt Imperium, cùm ante eius ætatem, vnicum fuiſſet *Tien Tan*, ſeu Templum, in quo *Xam Ti*, hoc eſt Supremus Cœli, Terræ, Solis, Lunæ, cæterorum ſyderum, ac rerum omnium Dominus colebatur.

Poſt hæc oblata eſt illi Imperatoris declaratio ſupra relata §.2. qua attentè perlectâ: videtis, inquit, quàm exactè vobis explicuerim legitimum horum Rituum ſenſum, & quam rectè mea dicta cum hac declaratione concordent. De agnoſcendâ in Cumfucio, Progenitoribus Mortuis Diuinâ quadam virtute benefaciendi, & ab illis idcirco bonis ſperandis, ac petendis, aut de

 præ-

Digitized by Google

præſentiâ credendâ animarum in Tabellis, apud Sapientes, & *Magnæ Doctrinæ* peritos, ne vmbra quidem horum omnium eſt; & quis hæc ſomniat? Cultus illi, Ritusque omnes, non alio animo ſunt inſtituti, nec alio conſilio exhibentur, ſiue Cumfucio, ſiue Progenitoribus, quàm gratitudinis, & obſeruantiæ cauſâ erga mortuos, & abſentes, quaſi præſentes adeſſent, qui eſt genuinus librorum noſtrorum ſenſus, vbi non legitur *Piſi*, hoc eſt, quod ſint præſentes, ſed *Piſire adali*, hoc eſt, quaſi adeſſent præſentes; Tartarâ enim, non Sinicâ linguâ loquebatur.

Quartum Teſtimonium ſit à primo Imperij Miniſtro, ſeu Colao, qui eam modò iam à 14. annis dignitatem obtinet, nomine *Y Sangha*. Is gregarij militis filius in litterarum ſtudio eum ſucceſſum habuit, vt ab infimo Magiſtratûs gradu, ad ſupremum, quem cum ſummâ laude adminiſtrat, paulatim conſcenderit. Ab Imperatore ita æſtimatur, vt quamuis ſæpe ob Senium dimitti ab officio petiêrit, numquam id conſequi potuerit. Hiic vir, qui etiam pluribus annis Supremum Præſidem Tribunalis Rituum egit, die 28. Maij anni huius, interrogatus à duobus Patribus è Societate Iesv, quid ſentiret de cultu erga Cumfucium, & Progenitores mortuos, à ſapientibus Sinis exhiberi ſolito, & quæ eſſet mens litteratorum Sinarum circa illos Ritus? Primum ab illis quæſiuit, quam ob cauſam id à ſe interrogarent? Reſponderunt, nihil ſe aliud intendere, niſi verum, & germanum ſenſum horum Rituum edoceri ab homine, quo ſcirent vix quemquam eſſe in toto Imperio peritiorem in his rebus, vtpote, qui à puero litteris egregiè operam dedit, quique ſine vllo alio, quam Doctrinæ, & ſummæ in rebus adminiſtrandis peritiæ adminiculo, per omnes Magiſtratuum gradus, ad ſupremam Primi Colai dignitatem euectus eſt; aliqua dubia de germano eorum Rituum ſenſu exorta eſſe in Europâ, quò proinde vellent declaratam ſibi rei veritatem tranſmittere. Cognito hoc interrogandi motiuo, Colaus ſic ait: Prædictus cultus adhibetur tantùm ad oſtendendam gratitudinem, ac reuerentiam. Ad hæc cùm nihil adderet, protulerunt Patres horum Rituum explanationem illam, quam Imperatori obtulimus, ſupra relatam, nullâ factâ mentione reſponſionis ab Imperatore datæ; huic tamen explanationi addiderant, quòd per vocem *Tien*, ſeu *Xamti*, non intelligatur Cœlum Materiale, & viſibile, quod caret intelligentiâ, à Sapientibus, ac litteratis coli; ſed aliquod Ens immateriale ſummè intelligens, cuius eſt bona bonis, & mala malis rependere. Legit ille attentè oblatam explanationem, & relegit; hæſitque aliquamdiu ponderans diligentiùs, quæ de Cœlo intelligente, ac remunerante ſcripta erant; tum reddita eis illa explanatione, ita eſt omnino, inquit, vti in veſtro ſcripto expoſuiſtis.

Digitized by Google

ſuiſtis. Ritus illos clarè, & in vero ſenſu explicuiſtis. Hoc reſponſum, etſi ſingulis capitibus ſatisfacere videretur; nihilominus vltra quæſiuerunt, num in Cumfucio, & Progenitoribus mortuis agnoſcatur aliquid prçter humanam conditionem? Num ab ijs aliquid ſperetur, aut petatur? Num Sapientes exiſtiment, animas in Tabellis reſidere? Aut in illas tempore, quo ſic coluntur, deſcendere? Aut appoſitorum ciborum fumo paſci? Tum cum riſu quodam eiuſmodi opiniones reprobante, ait; quonam modo id poſſent exiſtimare? Si qui peterent, an id circo conſequerentur? Hæc omnia ad ſignificandam gratitudinem erga Imperij Magiſtrum, & vitæ authores fiunt, nihilque aliud prorſus intenditur. Hæc ille primus Imperij Miniſter maximi nominis, qui olim decreto pro concedendâ in toto Imperio Chriſtianæ legis libertate, primus ſubſcripſit.

Quintum Teſtimonium ſit, quod nobilitate generis, ac authoritate primum locum obtinere poſſet, ſcilicet Nepotis eiuſdem Cumfucij, qui hæreditarium à multis ſæculis Principatum obtinet in illa regione, quæ Sepulchro Cumfucij latè circumiacet, & ibi in maiorum ſuorum terris, ac domicilio ſedem habet in Prouincia *Xantum*. Huic neque ſcientia rerum, quæ ad cultum Cumfucij Progenitoris ſui pertinent, deeſſe poteſt, vtpote, qui eo in loco habitat, vbi etiam ab ipſis Imperatoribus Cumfucio cultus exhibentur, neque etiam zelus tuendi eius honoris, cùm ille cultus exhiberi ſolitus Cumfucio, Familiæ capiti in proprium eius honorem cedere cenſendus ſit.

Ille autem Cumfucij Nepos, cùm hoc anno in aulam veniſſet Imperatoris Natalitio, à PP. Societatis ibidem interrogatus, quid cenſeret de illa declaratione legitimi ſenſus Rituum Sinicorum, quæ fuit Imperatori oblata; vbi illam legit; ita ſcripto, ſuo nomine ſubſignato, & proprio ſigillo munito, reſpondit. Vidi veſtram ad Europæos reſponſionem circa Ritus huius Regni, ſcilicet honorari Cumfucium ob doctrinam, non verò ab illo peti proſperitatem, aut protectionem. *Ita plane eſt, & veram huius cultus radicem attigiſtis.*

Sextum ſit Teſtimonium Sinenſis Colai, ſiue primi Miniſtri inter Sinenſes, nomine *Vamki*, viri toto Imperio, ob eruditionis, ac prudentiæ famam celeberrimi, qui iam ab annis pluſquam 20., Colai, ſeu Primarij Miniſtri officium geſſit. Hic conſultus ſuper legitimo ſenſu Rituum Sinicorum, ita reſpondit ſcripto proprio nomine ſignato, & ſuo ſigillo munito. Vidi illam explanationem veſtram Rituum Sinicorum: Clarè, & diſtinctè declaraſtis verum, & legitimum ſenſum, quo Sapientes, & litterati Sinenſes, Cœlum colunt, Defunctos Parentes, Maiores, Magiſtrumque venerantur. Illud Decretum; quod circa horum Ri-

Digitized by Google

tuum declarationem, Imperator iuxta Regulam Imperij protulit, planè ex Doctrinæ Cumfucij veris fontibus eſt.
Septimum Teſtimonium ſit viri quoque Sinenſis magni nominis ob eruditionem, nomine *Cam ym*, qui multis annis in litteris Sinenſibus Magiſter Imperatoris, & filiorum eius, quotidie in Palatio deſeruijt, & pluribus annis Tribunalis Rituum Præſidis officio functus, nunc ſupremam ab aliquot annis Colai, ſeu Primarij Miniſtri dignitatem obtinet. Quæſitâ eius Sententiâ circa declarationem veri, & legitimi ſenſûs Rituum Sinicorum, hoc Teſtimonium ſuo nomine ſubſcriptum, & proprio ſigillo munitum reddidit. Vidi exemplar litterarum, quas litterati Europæi hìc degentes reſcripſêrunt ad ſuos in Europam, in ijſque animaduerti valde perſpicuè exponi rationem Sacrificiorum Cœlo hic offerri ſolitorum, Rituumque Ceremonialium, quibus colimus viros virtute præcellentes, ac Progenitores Defunctos; atque hinc intellexi prædictos Europæos ſic eſſe in librorum noſtrorum Claſſicorum lectione verſatos, vt probè diſcernant certa ab incertis, videanturque ſubtiliſſimos eorum ſenſus penetraſſe, immo & illorum Sententia penitus, ac ſine vlla diuerſitate concordet cum Ritibus, & praxi præſcriptis à Priſcis, ſapientiſſimiſque maioribus noſtris. Vnde ad plenè ſatisfaciendum deſiderio virorum litteratorum, ad quos reſcripſerunt, ſatis eſt, ſi proponant ijs legendum reſponſum ſuper his datum, & ab ipſo Imperatore ſic approbatum, vt ad perfectam rei cognitionem nihil ſupra deſiderandum videatur.
Octauum ſit Teſtimonium omnium Litteratorum totius Chinæ facilè Principis, nomine *Han*; qui nunc Supremum Præſidem agit Tribunalis præcipuorum Imperij Doctorum, qui ex omnibus Prouincijs, præuio examine, ab ipſomet Imperatore deliguntur: hoc Tribunal *Han lin yuen* dicitur, in hac Curiâ grauiſſimum: inſuper Præſidem agit Supremi Tribunalis Rituum, eruditionis ſuæ famâ celeberrimus. Hic vir primarius, lectâ illâ declaratione circa legitimum ſenſum Rituum Sinicorum, quam Imperatori obtuleramus, in Europam tranſmittendâ; ſuo nomine, & ſigillo firmatum Teſtimonium hoc reddidit. Præcipuorum Capitum Doctrinæ Sinicæ, quæ pertinet ad cultum *Xamti*; item ad Ritus, quibus colimus Defunctos Progenitores, ad Magiſtros, legitimum ſenſum verè penetrarunt. Lecta enim illâ declaratione, quam mittunt ad ſuos in Europam, eam obſeruaui planè conformem eſſe cum Doctrinâ veterum Sapientum, & cum profundiſſimo æquè, ac eximio ſenſu librorum Claſſicorum; ita ille.
Ex eodem autem Supremo Tribunali Imperij Doctorum, qui rei litterariæ, & librorum Claſicorum interpretationi præſunt, ali-

qui alij Doctores interrogati ſuper eodem ſenſu Rituum Sinicorum: idem, aut ſimile Teſtimonium dederunt, propriâ ſubſcriptione, ac ſigillo authenticum.

Nonum Teſtimonium ſit eius, qui ſecundus eſt à Præſide titulo honorario in Supremo Tribunali Rituum, nomine *Sun*, inter Doctores in prædicto eorum Tribunali maximæ authoritatis, Præfectumque agit Regiæ Bibliothecæ, & Præſidem Tribunalis, ad quod circa cultum Cumfucij cæremoniæ ſpectant. Cùm vnus è noſtris Patribus aulam magni Gymnaſij Cumfuciani *Gue cu Kien* dicti, ingreſſus die 2. Lunæ 3. anni huius, quæ Pekini erecta eſt in honorem Cumfucij, eſtque inter omnes aulas toto Imperio, huic Philoſophorum Principi dicatas, longè celeberrima; inuenit loci illius, ac cæremoniarum Cumfuciani cultûs Præſidem prædictũ *Sun lao ye*. Ab illo interrogatus, quam ob cauſã veniſſet. Reſpondit non aliam eſſe, quàm deſiderium audiendi à viro Rituum Sinicorum peritiſſimo, ac præcipui Gymnaſij Cumfuciani Præſide, quiſnam ſit verus, ac legitimus Sapientum Sinarum ſenſus, circa Ritus, quibus Cœlum, Progenitores Defuncti, atque Cumfucius coluntur. Quibus dictis, obtulit ei legendum folium eo ſenſu conſcriptum, quo fuerat Declaratio Imperatori oblata, nullâ tamen huius oblationis factâ mentione. Legit Præſes attentè, ſemel, iterumque ſingula verba perpendens, & illud quoad ſingula capita valde approbauit, dicens: planè conformia illa eſſe Sapientum doctrinæ. In eo autem præ ceteris laudauit vltimum caput, quod ſpectat ad Cœli cultum, atque in primis verba quædam addita, quæ ſummam *Xamti* intelligentiam tribuunt.

Decimum ſit Teſtimonium viri Senis, non tam dignitate, quàm inter Tartaros, & Sinas ſummâ eruditione inſignis, nomine *Li*, qui per 30., & amplius annos ab Imperatore occupatus eſt in Palatio, modò in componendis libris, tum Tartaricis, tum Sinicis de multiplici argumento, atque in primis de ijs, quæ pertinent ad varias Religiones, ſeu Sectas, quæ in hoc Imperio vigent, modò in vertendis ſcientijs Europæis in alterutram linguam, quam vtramque apprime callebat. Is etiam vertit iam pridem libros P. Matthæi Riccij de Dei Exiſtentiâ è linguâ Sinicâ in Tartaricam, & quoſdam alios, qui modò magnâ vtilitate impreſſi ſunt. Tantæ igitur Eruditionis vir, & Sinicæ vetuſtatis notitiâ vix vlli ſecundus, interrogatus quondam ab aliquo à noſtris (nam ab aliquot annis obijt) quid de prædictis libris, eorumque Authoribus ſentiret: is ingenuè, ac ſine fuco, pluries aſſeruit, manifeſtè relucere in illis libris genuinam veterum Sapientum Sinarum de colendo Cœlo, ſeu *Xamti*, Doctrinam, ac perfectam eius, quoad hoc, cum Chriſtiana Religione conformi-

Digitized by Google

formitatem. Addidit, mirari ſe ſatis non poſſe, qui fieri potuiſſet, vt P. Matthæus Riccius ſic penetraſſet abſtruſiſſimos librorum ſuorum Canonicorum ſenſus, & Viri extranei perſpicacia tantam ibi lucem attuliſſet, vbi doctiſſimi quique pluribus ſæculis cæcutire videntur. Demonſtrauit enim, inquiebat, veri Dei cultum, ac cognitionem fuiſſe ab antiquiſſimis temporibus apud Sinas, primum, ac præcipuum priſcæ Sapientiæ caput; eâ quidem claritate, ac ſoliditate, vt vel ipſum litteratorum vulgus, ex ipſius libris tanti momenti veritatem, magnâ facilitate, & cum euidentia intueri poſſit. Verterat idem ſenex librum P. Aleni, de rerum omnium verâ origine è linguâ Sinicâ in Tartaricam, (quæ verſio etiam typis data eſt) aiebatque hunc Riccio aliquantò inferiorem, quoad profundam notitiam Sinicæ antiquitatis; ſed quo ad ſtyli Sinici elegantiam; artemque ſcribendi, celeberrimis Sinarum Oratoribus, & Philoſophis, ne exceptis quidem antiquis, facilè æquiparari poſſe. Hæc qui ab eius ore accepit, iurato teſtimonio teſtatus eſt, cuius hîc originale ſeruatur.

His decem Teſtimonijs alia quamplurima addere poſſemus, tum virorum Primatum, & Inſignium Eruditionis famâ; tum etiam ordinis minoris: ſed cùm nimia eorum exquiſitio aliquam ſuſpicionem mouere poſſit, atque etiam ad Imperatoris notitiam venire, cui diſpliceret, nobis ſatis non eſſe ſententiam ſuam; idcirco iudicauimus, ab vlteriori diligentia abſtinendum, qua exhiberi poſſunt, ſi opus eſt, ſine numero alia Teſtimonia, quæ eundem Cæremoniarum Sinicarum ſenſum afferant. Allatis etiam addi poſſunt quorumdam antiquorum Teſtimonia ex archiuio Pekinenſi authenticè exarata; nempe Doctoris Pauli, qui ſupremam Colai dignitatem ſua Eruditione obtinuit, aliorumque litteratorum Chriſtianorum, qui ſuis quoque litteris ad magnas dignitates peruenerunt; quorum ſanè prolata authoritas longè validior debet eſſe, quã decẽ Chriſtianorum nullius planè nominis, quæ accepta contra Societatis noſtræ opiniones Romę anno 1645. prolata ſunt. Non omittendum pariter ex eodem Archiuio depromptum celeberrimi viri *ye* nomine, dignitate Colai authenticum Teſtimonium, quod refert P. Iulius Aleni in Epiſtolâ datâ in *Ham Cheu* die 3. Februarij anno 1625., vbi ſic ait. Naui iter faciendo cum *ye* Colao, cum de lege Diuinâ diſſeruiſſem, mihi ille dixit: Nos etiam vnum Deum agnoſcimus Dominum totius vniuerſi, qui bonis præmia largitur, & malos ſupplicijs caſtigat; ſed cum differentiâ nominis; nam vos vocatis *Tien Chu*, id eſt Cœli Dominum; quod vobis nocet, mouetque ſuſpicionem cuiuſdam malæ ſectæ, & nouæ, eo quòd non ſit idem nomen, quo nos nominamus. Quare ergo non

vti-

vtimini nominibus, quibus vtimur, nempè *Tien*, & *Xam Ti*, ad ſignificandum verum Deum, ſic vitaturi ſuſpicionem prauæ nouitatis, additâ, ſi opus eſt, aliquâ explicatione veſtro modo, vt rem ſignificatam certiùs exprimatis. Et rurſus idem paulò poſt, diſcurrimus, inquit, per comparationem corporis humani, in quo neceſſe eſt ſpiritum, ſeu animam exiſtere, quæ illud gubernet, & regat; & ſine qua corpus ſe ſuſtinere nequit, aut operari. Ita in hoc mundo neceſſe eſt exiſtere Supremum Dominum, qui illum gubernet, & dirigat res ſingulas ad ſuum finem: & in hoc quidem planè vobiſcum ſentimus. Ita Colaus, ſuâ Eruditione ſuo tempore celeberrimus, qui quidem legem Chriſtianam, eiuſque Prædicatores valde æſtimauit, & amauit, etiamſi illam amplexus non fuerit.

§. VI.

Clariſſima Diuini Cultus ex Traditione Monumenta.

Tam præclaro ipſius Imperatoris, Imperijque Magiſtrorum Teſtimonio conſonant multa, quæ etiam nunc extant, Diuinæ notitiæ impreſſa, nec obſcura veſtigia. Hæc traditionis nomine ideo complecti placuit, atque hoc loco ſubnectere; quòd ab omni retro memoriâ, quaſi per manus propagata, ad noſtram vſque ætatem peruenere. Inter quæ primum profectò locum obtinent, quæ Pekini videre eſt in duobus Templis tam Imperatorum, quàm totius Imperij nomine magnificè conſtructis, altero *Tien Tan* dicto, altero *Ti Tan*. In hæc igitur loca vulgaribus litteratis parùm cognita, regiâ vſus authoritate noſtrorum aliquis, cùm meditatò penetraſſet, atque in ipſa adyta à ſex Mandarinis loci Cuſtodibus, rerumque omnium ſcientiſſimis honorificè deductus eſſet; omnia ita per otium luſtrauit, inſpexitque, nihil vt prorſus, ſiue ad locorum Iconographiam, ſiue ad Rituum cognitionem, deſiderari poſſit. Ex multis aliquando fortè ſigillatim referendis, nunc pauca delibabimus, ea nempe, quæ ad argumentum magis ſpectant, Eruntque 1. De obiecto Cultûs. 2. De Materiâ, & apparatu Sacrificiorum. 3. De Sacrificantis perſonâ, & ratione. Initium eſto à *Tien Tan* omnium antiquiſſimo.

De Templo Tien Tan.

Primò igitur, quod adorandum in *Tien Tan* proponitur, ab omni Idololatriæ conſuetudine abhorret mirum in modum. Nulla ibi ſtatua, nulla imago, nullum ſigni, figuræuè, vel leue indicium.

Digitized by Google

cium. In vtroque Boreali, & Auſtrali Templo, nihil prorſus eſt, niſi nuda, ſimplexque inſcriptio in tabella Mobili, Sinicè, & Tartaricè nitidis, aureiſque litteris exarata. Sinici characteres ſunt hi *Hoam Tien Xam Ti*, quos tres voces Tartaricæ ita reddunt: *Terghi ab Cai Han*. Hoc eſt ad verbum. *Altus*, *& Supremus Cœli Dominus*.

In Frontiſpicio Templi Auſtralis Sinicè ſic legitur: *Hoam Kiun yu*, Tartaricè verò ſic: *Ab Cai Hanni ordò*: ideſt: *Cœli Supremi Domini Templum*. Denique in Boreali Frontiſpicio Sinica epigraphe ſic habet: *Hoam Kien Tien*, ſeu *Supremi Domini Aula*, nam Tartari hanc ita vertunt: *Ab Cai Hanni Tien*.

Quo loco admonendus eſt Lector, rerum Sinicarum minus peritus, has Tartaricas Inſcriptiones, ſeu verſiones, tam ab omni æquiuocatione, & ſuperſtitione alienas, fuiſſe à peritiſſimis vtriuſque linguæ Viris adornatas, & poſt diuturnam de legitimo Imperij ſenſu conſultationem, tandem demortui Imperatoris, atque Tribunalium authoritate, Sinicis Inſcriptionibus conformes iudicatas, adiunctaſque. Quamquam & ipſi Sinici characteres ex ſe habent ſenſum planum, & multorum Sinarum hic degentium iudicio magis magnificum. Præterquam quòd enim duo vltimi characteres *Xam Ti*, ſua ex inſtitutione, vſuque ſignificant Supremum Imperatorem; character primus *Hoam*, qui & ipſe ex communi acceptione eandem Imperatoris exprimit dignitatem, habet etiam ex ſua hyerogliphica compoſitione, proprijſque elementis, energiam ſignificandi dominium abſolutum in omnes Reges; componitur enim modò per abbreuiationem ex *Pe* littera, antiquitùs fiebat ex littera *tu*, quæ ſignificat ex ſe, & ex littera *vang*, quæ ſignificat *Regem*, quaſi diceretur *Rex ex ſe*. Atque hæc noſtra obſeruatio abundè demonſtrat Sinicam Inſcriptionem non eſſe indignam Deo noſtro, qui à Sacris Scriptoribus appellatur, *Rex Cœleſtis*, *Rex Regum*, *& Dominus Dominantium*.

Cœterùm hæ omnes voces, Regis, Supremi Domini, ſimileſque, cùm ſint in communi populorum ſermone poſitæ, &, vt de Dei voce argumentatur Tertullianus, omnium conſcientia agnitæ, neque in Philoſophiæ Scholis, aut Idololatriæ fanis natæ; vſum habere certè poſſunt; excitant enim re ipſa hìc, & vbique gentium in audientis Populi animis ideam Entis viuentis, & pro voluntatis imperio gubernantis; quem Populorum ſenſum, pauci illi, qui apud Sinas, ſicut etiam apud Europæos inanibus argutijs, tortiſque contra textum perſpicuum explicationibus conantur obſcurare, ingenioſi quidem à ſuis Sectarijs venditantur, cordatis verò hominibus prorſus perſuadent illos vltrò, ne videant emicans lumen, oculos ſuos obuelare.

Sc-

Digitized by Google

Secundò. Quod ſpectat Sacrificiorum materiam, apparatumque, paucis abſoluet, qui dixerit, hæc Regij Templi Sacrificia, non paruam habere affinitatem cum legis Naturalis, aut etiam ſcriptæ ſacrificijs. Sunt enim imprimis pura à ſceleribus, quæ idololatriæ admixta ſemper fuiſſe Annales noſtri referunt. Nihil hìc humani ſanguinis, nihil obſcœni, theatrici nihil; omnia obſeruantiam, & munditiem præferunt. Quinque, ſicut apud Hebræos, victimarum genera, & in his præcipuæ Vituli, ſeu Tauri, & Oues. Sacrificiorum non vnum genus. Expiatoria alia, & Pacifica. Alia velut Euchariſtica pro agendis Supremo Imperatori gratijs. Alia impetratoria pro obtinendis nouis beneficijs: v. g. *Tien Tan* ſuo in ambitu habet Templum magnificè extructum, dictumque *Ki Cu Tan* pro petenda Annona ad Populum ſuſtentandum. Inter hæc ſunt, eaque præcipua, quæ rationem habent Holocauſti, in quo victima, nimirum Bos maſculus, ſeu Taurus iunior, pinguis, ſelectuſque igne abſumitur, idque in Altari quadrato, cauo, craticulaque ſubſtrato, cuius molem, ſitum, dimenſiones conſideranti non occurret facilè quid diſcriminis inter Iudaicum Holocauſtorum Altare. Similitudo eadem obſeruatur in Menſæ odorum, ſeu Altaris Thymiamatis forma; in ſacrificij inſtrumentis; in modo mactandi Victimas, nunc membratim cædendi, aut inteſtina detrahendi, ſuperque lignorum ſtruem componendi; nunc victimarum carnes coquendi, atque ex illis, alijſque edulijs coram ſupra memorata Tabella, ſeu Diuino nomine, quaſi conuiuium apparandi. Quod etiam de antiquis Sacrificijs obſeruant paſſim Interpretes; inter quos Tirinus noſter notat: in ijs Deo quaſi conuiuium apparabatur, quod vice Dei ignis tamquam ab eo miſſus deuorabat. Qui verò delectus in victimis, Miniſtriſque loci Cuſtodibus, quæ leges? longum eſſet proſequi. Reijciuntur pecudes mutilæ, læſæ, vno verbo, laborantes infirmitate, aut vitio ex ijs, quæ 22. Leuitici deſcribuntur. Quæ verò admittuntur in Templi paſcua, maiori cura aluntur, lauantur, ſaginantur. Multò plus eſt cautionis in Miniſtris cooptandis. Sunt illi ex ipſo, nec qualicumque Mandarinorum numero, famæ illeſæ, atque integræ. Doctrinæ non vulgaris. Nec ſolùm à Sacris arcentur in iudicio damnati, criminis rei, ſupplicio, pœnauè publica affecti; ſed etiam alicui vitio, defectuique naturali obnoxij.

Iam verò ſub ipſas quatuor anni tempeſtates, quibus fiunt Sacrificia, indicitur Triduanum, & vniuerſale Ieiunium, abſtinentia ſcilicet ab vſu carnium, vini, imò & à ludis, Comædijs, Vxoribus, negotijſque forenſibus. Vndè Mandarini extra proprias ædes in publicis Tribunalibus tenentur pernoctare. Ipſe etiam

Im-

Imperator: è Palatio ſecedere in *Chai Cüm*, ſeu Aulam Ieiunij, ac Pœnitentiæ, intra Templi ſepta hunc ad finem ædificatam, vbi ſolitarius ſibi vni vacet, ſeque perficiat accurato (vti loquuntur) ſui examine, iuratoque emendationis propoſito. Ad idem porrò Mandarinis omnibus ſuadendum, facit illa celebris Tabella, quæ toto hoc triduo Pekini in Tribunalibus perſtat propoſita cum hac epigraphe: *Regnum habet legem. Spiritus videt, quinam eam obſeruant, quinam eam violant.* Nempe exiſtimarunt veteres Sinæ hac Spiritus vbicumque videntis, ac omnia ſcientis cogitatione, poſſe homines facilè deterreri à violatione legis ad Sacrificium neceſſariæ.

Vnde autem hæc tanta cum vera lege in Sacrificijs, Ritibuſque ſimilitudo profluxerit? quorſum inſtituta ad Sacrificium Supremo Imperatori offerendum hæc tam parùm vulgaris animi, corporiſque præparatio? definiendum alijs relinquimus. Exiſtimabunt tamen, credimus, viri in re Antiquaria verſati, hæc omnia collectim ſumpta, & à remotiſſima antiquitate in vſum inducta, indicare prima Sinicæ Monarchiæ tempora fuiſſe Diuinæ notitiæ plena: itemque fontem demonſtrare purum; qui licet per tot ſæcula, alijs, alijſq; ſuperſtitionibus interdum fuerit infectus; corrumpi tamen ſic non potuerit, vt à ſubſequente ſanioris mentis ſucceſſore, ſuo ſplendori vtcumque non fuerit reſtitutus. Nobis ſatis intereà ſit, rem, vti eſt, narrare, & nouo argumento, vti appellant, ad hominem demonſtrare nouis atheis, hanc ſuam de Cœlo Materiali, ſenſuſque expertè ineptam ideam, cùm tam ſollicita antiquitatis Sinicæ, quam venerantur, inſtitutione, cohærere omninò non poſſe.

Tertiò. Quò meliùs intelligantur, quæ de tertio propoſito capite ſumus dicturi, aduertendum eſt, Boreale, & Auſtrale Templum, quod ſupra indicauimus in loci *Tien Tan* dicti ambitu comprehenſum, duobus vtrumque conſtare ædificijs, quorum alterum interius recondendæ per annum ſupra memoratæ Tabellæ deſtinatum eſt. Alterum exterius eſt inſtar Eccleſiæ, ac Regiæ Cœremoniarum Aulæ, in quam ſolemni die defertur Tabella, exponiturque. Hæc porrò vtraque Aula nihil eſt aliud, quàm podium magnificum, ſeu moles prægrandis, alta, ſolida, orbicularis, tribus ſimilis conſtructionis ordinibus gradatim aſſurgentibus pulchrè diſtincta, quo à quatuor regionibus triplici nouem gradum ſeriè aſcenditur. Id tamen eſt inter vtramque diſcriminis, quòd Borealis ſit marmore albo exterius circumueſtita, habeatque in medio culmine templum rotundum, tecto triplici, flauoque viſendum, ſub quo eminet thronus Sacræ Maieſtati dicatus, à Regio throno nihil admodum diuerſus. Auſtralis verò Aula lateribus Cœleſtis coloris circumfulgeat,

pro-

Digitized by Google

proque tecto Cœlum ipſum habeat; tecti tamen loco, die ſolemni erigitur tentorium, futurum Tabellæ Sacræ Tabernaculum.

Quæ verò coram hac Tabella, ſeu Supremi Imperatoris nomine, obſequia impendit Imperator (cui ſoli id licere omnes relationes docent) conueniunt planè cum ſolemnibus illis obſequijs, ab vniuerſa Mandarinorum turba Regia in Aula quolibet anno ipſi deferri ſolitis. Nam (obſeruabant ipſi Mandarini Cuſtodes, atque Miniſtri) quemadmodum Imperator, qui per annum domeſtico Palatio quaſi clauditur, aperiente ſe anno, magnificam Imperij Aulam ſubit, thronoque ſublimis habet coram ſe omnes Aulæ Magnates, & Tribunalium Mandarinos ſuas per claſſes diſtributos, ac pretioſis veſtibus indutos, dato ſigno, inter Muſicorum omne genus, per certa interualla ſeſe proſternentes, & vſque ad ſolum nouies caput reuerenter inclinantes; eadem prorſus ratione Tabella Supremi Imperatoris nomen præferens, effertur ex interiori Templo, quaſi è domeſtico Sanctuario, in ipſam exteriorem Aulam, locumque publicum inter pſallentium, & tripudiantium Choros, quibus olim ipſimet Imperatores immiſcere ſe non ſunt dedignati.

Vbi verò throno parato impoſita eſt, cum Imperator, poſitis veſtibus, indutiſque violacei, & hyacintini coloris, prima Aulæ ſepta ingreſſus cum Miniſtris, Principibus, atque Magnatibus, cœtero interim magnifico Mandarinorum comitatu ſubſiſtere exteriùs iuſſo, ſuoſque per ordines pulchrè diſpoſito, ſolus podij gradus aſcendit, & quidem laterali via, non media; quod ipſum à ſubditis erga Imperatorem in Palatio obſeruatur. Vbi verò attigit ſecundi Ordinis gradus ſupremos, non auſus vltra aſcendere, tum dato ſigno, perſtrepenti omni Muſicorum multitudine, Imperator in genua procumbens, capiteque in ſolum vſque nouies, ac per ſtata interualla demiſſo vnà cum numeroſo illo, ſuperboque comitantium exercitu reuerenter adorat Sacram Supremi, ſuique Imperatoris Maieſtatem. Quod tanto ille ſibi honori ducit, vt libentiſſimè audiat à ſuis compellari ſe nomine *Pi Hia*, dirigendo orationem (Reuerentiæ ergò) ad Prætorianas excubias, quæ adſtant ſub gradibus throni Imperatorij, non ad ipſum Imperatorem.

Adorationem excipit oblatio magnifici ſacrificij, tàm Imperatoris, quàm Imperij nomine parati, præcone Regio legente interea voce alta, ac diſtincta, nomine Imperatoris, oblationis formulam, Muſicis omni inſtrumentorum genere præcinentibus proprias cuiuſque actionis antiphonas. Hæ verò magnificis planè verbis Diuinæ naturæ Poteſtatem, Maieſtatem, Scientiam, Prouidentiam, aliaque attributa, & beneficia repreſentant;

 quas

quas ſingulas hic exponere, vt eſt ab inſtituta breuitate alienum; ita omnes prætermittere, plenum inuidiæ. In formula igitur oblationis Regia, cuius exemplar habemus lingua Tartarica, pro more Palatij hodierno; Imperator, non iam ſe Imperatorem, ſed proprio, priuatoque nomine appellat: quod apud Sinas maximum demiſſionis, ac dignitatis longè inferioris indicium eſt. Tum ſe ſeruum, ac ſubditum expreſsè dicit, ſeque hæc offerre *Terghi Abcai Hande*, Supremo Cœli Imperatori. Cœtera præterimus, quia Tartarica, adeòque Miſſionarijs minùs nota, quibus, vtpote linguæ Sinicæ ſcientibus, gratiora erunt Sinica. Adducemus ergo ex ipſo Rituali *Tai Mim* inuocationes aliquas, ſiue Antiphonas, adhibitas ab Imperatore *Kia Cim* Familiæ præcedentis *Tay Mim* duodecimo, cum inductam à multis retro annis Templi Inſcriptionem mutaret. Habebat illa: *Lucidi Cœli Supremo Domino*, & ſubſtituebat: *Cœleſti Regi Regum, Supremo Domino*.

In hac igitur ſolemni oblatione Tituli *Hoam*, de quo ſupra; primò Rex ſe quaſi indignum indicans, qui audiatur; omnes omnino ſpiritus inuitat, *vt* (inquit in inuocatione) *ne grauemini adhibere in meum fauorem totam veſtram ſpiritualem, intellectualemque virtutem apud Supremum Dominum, ipſi exponendo demiſſi animi mei ſenſus, ipſumque rogando, vt dignetur benignè reſpicere hanc oblationem, & Titulum, quem pronus, ſummàque veneratione ipſi offero*.

Ipſa verò die Dedicationis Supremo Imperatori, nouam hanc ſolemnitatem quaſi preſenti numine approbanti, concinere Muſici cæperunt ſequentem Antiphonam, quæ latinè reddita, quamquam Sinicorum Hyeroglíphicorum breuitatem aſſeqni nequeat omnimodam, ſat tamen magnificè Diuinam Æternitatem adſtruit, entis nempe ſupremi ante colles, & cardines orbis terrarum exiſtentis. *In confuſo mundi primordio non erat niſi informis moles: quinque, ſiue planetæ, ſiue elementa nondum cæperant circumagi: nondum duo luminaria illuxerant: in medio ſolus ſtans exiſtebat: qui cum non habeat vocem, neque formam; reuera tamen habet vocem, re vera habet formam, vtpote ſpirituum omnium Supremus Dominus, ex ſe veluti prodiens, ac rudem mundi molem componens. Hic in principio diuiſit craſſum à ſubtili*. Condidit Cœlum, condidit terrã, condidit hominẽ, *ex quibus ſubinde propagatæ ſunt rerum omnium ſpecies*.

In ſequenti ait: *Ti, id eſt Dominus produxit In, & Tam*, prima rerum materialium principia, *habens ipſe Creationis æquè, ac Productionis poteſtatem abſolutam. Spiritus ille produxit ſeptem planetas cum virtute illuminandi, & influendi in inferiora: orbo*

be cœleſti omnia contexit: terræ immobilitate omnia firmauit, vt quæcumque conſtantem obtineant ſtatum. Pro ſummo hoc beneficio, ego ſubditus, præmiſſa adorationis reuerentia, audeo offere Supremo Imperatori auguſtum hunc titulum Hoam, Rex Regum.

Oblationi verò ſericorum, & vaſorũ ex lapide pretioſo *Yu*, adiuncta eſt ſequens antiphona. *Ti, inquit, o Domine, iam dignare parentis affectu audire hæc filij tui vota. Cùm aliter non poſſim debito filij officio erga optimum parentem fungi, auſus ſum tibi offerre hunc titulum; & quia ad hanc meam oblationem piè reſpicere dignatus es, in gratiarum actionem pro ſingulari hoc fauore, audeo nunc tibi offerre pauca hæc vaſa cum paucis hiſce pannis ſericis.*

In quarta antiphona, ait; *ſe Supremo Domino, qui dignatus eſt inſpicere humillima animi ſui vota, offerre hunc primum vini calicem in ſignum laudis, & exultationis pro celebranda perpetua, atque illimitata Supremi Imperatoris duratione, quæ nullam habet, nec habebit vnquam parem.* In quinta verò conqueritur de hominibus, beneficijs Supremi Imperatoris veluti conclufis. *Et ſi*, addit, *tot, ac tanta extent vbique Supremi Imperatoris affectus, atque amoris argumenta erga omne viuentium genus; quis tamen corde recogitat originem, vnde hæc omnia ſunt profecta? quæ alia non eſt, quam ſolus Supremus Imperator populorum omnium, ac rerum conditor, & creator veriſſimus.* Cæteris actionibus, atque Antiphonis, breuitatis cauſa, omiſſis, hanc ad tituli oblationem pertinentem pro coronidè apponamus. *Supremus Dominus iuſſit, & factæ ſunt tres mundi partes præcipuæ, Cœlum, Terra, & Homo. In medio concluſit populos, ac vniuerſas rerum ſpecies. Ego ſubditus ſupplico, vt quorum nomina hìc adſtant, Progenitorum Imperatorum Defunctorum, ij obtineant æternùm frui beata tua præſentia in Regia, ac Cœleſti Aula.*

Quid multa, in his, alijſque vltrò prætermiſſis, Supremum Dominum appellant Conditorem, Conſeruatorem, Æternum, Omnipotentem, hominis ſenſus Inſpicientem, bonos Remunerantem, malos Punientem, &, vt phraſi Sinica vtar. *Sanctè intelligentem.* Certè in his omnibus quiſquis nullum Dei veſtigium agnoſcit; neceſſe eſt, illum, aut eſſe voluntate atheum: aut iudicio atheorum nimiùm tribuere. Etenim non raró accidit Litteratis etiam Sinis non paucis, qui in atheorum Commentarios primùm incidentes, non ita alios verſant libros, vt dicacitate hominum ſenſim capti, hos tum maxime admirentur, cùm maximè deberent faſtidire: quando videlicet, vel res clariſſimas, Vg. Energumenorum effectus, vel textus antiquorum apertiſ-

 ſimos

ſimos, maiorumque inſtituta, nudis antipathiæ, & ſimpathiæ nominibus inuoluunt.

De Ti Tan.

Primo in *Ti Tan* etiam nulla eſt imago, nullum idoli vel leue indicium. Obiectum cultus idem eſſe atque in *Tien Tan*, præter Imperatorem, Sacrorum iſtorum Summum Pontificem, primòſq; Imperij Magiſtros ſupra relatos, teſtati ſunt vtriuſque Templi cuſtodes Mandarini, rerum id genus maximè ſcientes. Quod etiam demonſtrat Tabella Solemni adorationis die proponi ſolita. Huius ea eſt inſcriptio Sinica: *Hoam Ti Ki*, quam adiacens verſio Tartarica ſic reddit: *Nai Han*, id eſt, *Supremus Terræ Dominus*. In frontiſpicio verò Sinicè ita legitur, *Hoam Ki Xe*, Tartaricè, *Nai Hanni Pao*, id eſt, *Terræ Supremi Domini Domus*. Quæ duæ inſcriptiones planè conueniunt cum memoratis *Tien Tan* inſcriptionibus. *Ab cai Han*, *Ab cai Hanni Pien*: quin & congruunt non ſolùm ſenſu, ſed & verbis cum libro Li Ki canonico, Supremum Dominum *Xam Ti* ipſo *Ki* titulo apellante; ita vt ex his inſcriptionibus, cultui publico propoſitis, liquidò appareat, Supremum Dominum ab Imperatoribus Sinis fuiſſe agnitum; atque etiam hac ætate agnoſci, eumque (quod characteres Sinici etiam ſatis demonſtrant) Cœlo, Terræque poteſtate ſuprema imperantem. Quo etiam nomine Imperator ipſe in formula Tartarica (neque enim alio nomine Imperatoris, inter ſacrificandum legitur) ſemper vtitur, dum ſacrificat in vtroque Templo: nempe in *Ti Tan*, non ſecus atque in *Tien Tan*, ait, ſe id totum offerre *Han dè* Supremo Domino, ſe expreſſis verbis appellat Supremi Domini Subditum. Totidem præterea vocibus, eademque animi, & corporis demiſſione, ac reuerentia, Cœli, Terræque Supremum Dominum alloquitur.

Scimus quidem fuiſſe intermediæ ætatis Imperatores ità obcæcatos impietate, vt Supremo Cœli Domino addiderint quoddam aliud Numen, aut Terræ Genium, aut melius *Heu Tu*, quamdam, vt illi volebant, Terræ imperatricem; inter quos famoſus eſt *Hoei Cum* familiæ *Sum* octauus. At ſcimus acriter repræhendi in Annalibus Sinarum his verbis: Nomine *Ti*, in inſcriptione *Xam Ti*, intelligitur Cœli Dominus, ac gubernator: eius excellentia non habet parem. Cur ergo *Hoei*, *Cum* addidit illi parem cum nouo titulo? Qui peccauit in Cœlum, non habet alium quem inuocet. Quibus, aliiſque ſuum hunc Imperatorem cenſores apertè damnant, quòd maiorem, quàm deceſſores, impunitatem affectans, diuiſo antiquæ adorationis obiecto

obiecto, nouum Supremæ Imperatricis numen inuexerit, cuius nempe patrocinio declinare attentet vindictam irati Cœli; cùm tamen, vti aiunt, vox Sinica *Ti*, id ex ſe habeat, vt ſignificet Cœli Dominum, ac Rectorem, paremque prorſus excludat.

Secundò ex eiſdem teſtimonijs habetur, Sacrificij Solemnis Solſtitio æſtiuo ab Imperatore offerri ſoliti, materiam eſſe eandem, finem, pompam, reuerentiæ, atq; adorationis demonſtrationes. Eadem certè in hac vrbe indicitur primatibus abſtinentia, eadem ſeparatò habitandi, ſibi vacandi, in ſua facta, dictauè inſpiciendi, & emendationem pollicendi lex Imperatori obſeruandæ eſt. Duplex tamen diſcrimen annotatur. Primum quod in *Tien Tan* podium ſuperius deſcriptum ſit rotundum, quadratum verò in *Ti Tan*. Secundum, quòd in *Tien Tan* Imperator Sacrificet Supremo Domino eo Sacrificij genere, quod Sinæ vocant *Fan Chai*, & *Leao*, quo oblata igne abſumuntur. Quam Sacrificij conditionem aptam in primis putant ad exprimendam abſolutam Supremi Domini, omnia pro libitu producentis, ac deſtruentis poteſtatem; & hoc Sacrificium apellatur *Kiao*. Contra in *Ti Tan* victimæ, atque omnia oblata terræ reuerenter mandantur, atque humantur; Quem ritum reſpondere exiſtimant Supremi Domini omnia fouentis, atque ſeruantis potentiæ, virtutique rerum omnium, Matris inſtar altrici.

Vnde Supremum Cœli, Terræque Dominum vocant etiam *Ta Fu Mu*, magnum Patrem, atque Matrem, eodem prorſus nomine, quo omnes Sinæ Chriſtiani Deum optimum paſſim apellant *Ta Fu Mu*. Porrò hoc Sacrificij genus dicunt *Xe*; quapropter nulli profectò, vtriuſq; Templi aulas ingreſſo, mirum videri poterit, quòd Imperator, Imperijque Magiſtri expreſſis verbis doceant, non ſolùm, & ab antiquis, & à ſe coli Supremum Cœli Dominum, ac Rectorem, & non Cœlum Materiale, ac proinde rationis expers, ſed etiam vtrumque Sacrificium, à ſe fieri ſolitum, ad eundem Supremum Dominum referri; & quòd ad ſuam mentem declarandam, tacito Cumfucij nomine, eiuſdem tamen proprijs verbis vtantur, deſumptis ſcilicet ex libro Philoſophi Canonico *Chum Tum* dicto, ita affirmante: *Kiao Xe, eſt ritus ille, quo ſeruitur Supremo Domino*.

Quo loco obiter notanda eſt cum multis Doctoribus Sinis famoſa inſignis Atheo politicorum principis audacia, textum hunc clariſſimum, adeòq; ſuis perincommodum, addito *Heu Tu* nomine, obtenebrantis; vt vel ex hoc conijciant viri cordati, quæ fides habenda ſit nouis id genus Commentatoribus: an in eorum verba iurandum? in hoc certè ſtudiorū genere, hęc vbiq; terrarum recepta lex eſt, vt ea explodatur interpretandi ratio, tum quæ contra planam, obuiamque Sententiam, textum notis cor-

Digitized by Google

rumpit, atque violenter, & inſulsè trahit: tum quæ diſſipata, & inter ſe non conſtantia, nec obſcurè, nec rarò loquitur; quo vtroque vitio non parùm laborare nouum hoc Commentatorum genus apud pleroſque Imperij Magiſtros, ac Regiæ Academiæ Doctores, certiſſimum eſt. Vnde exiſtit hoc litteratorum familiare reſponſum, ſeu adagium: *Crede textui, non crede Commentario.*

Tertiò, quæ ſuperiùs dicta fuerunt de Imperatoris ſacrificantis perſona, rituque, huc quoque referenda ſunt; quemadmodum enim ſoli Imperatori licet Supremum Dominum ſolemni Sacrificio *Kiao* dicto in Templo *Tien Tan* venerari; ita etiam ſoli licet hoc ſecundum Sacrificij genus *Xe*, in Templo *Ti Tan* communi Imperij vniuerſi, ſeu, vti Sinæ loquuntur, totius terrarum Orbis nomine offerre. Ab ipſo enim Imperatore accepere olim cum Regijs Inſignibus Clientelares Reges, & accipiunt etiam nunc Vrbium gubernatores ius offerendi, ſeu erigendi *Xe*, hoc tamen ſeruato diſcrimine, vt pro cuiuſque gradu, ac dignitate, ritu minus ſolemni, & ſuorum tantùm ſubditorum nomine ſacrificent, vt ne quidem aliorum locorum cuſtodes Spiritus audeant inuocare. Vnde hoc Imperatoris Sacrificium, mutuato à Libro Canonico *li Ki* nomine, appellant *Ta Xe*, Magnum, ſeu Vniuerſale Sacrificium.

Atque de his Sacrificijs ſatis: quæ licèt non vno ex capite, ac imprimis poſt Sacrificium Chriſtianum, prorſus illicita, idcirco paulò fuſiùs enarrauimus, quòd ad pleniorem rei notitiam faciant, multiplexque, vti ſupra indicauimus, ſubminiſtrent contra Atheo-Politicos Sinas argumentum. Nobis interea ſatis ſit, ex Sacrificantium, ac Miniſtrorum teſtimonijs, ex omnibus vtriuſque Templis inſcriptionibus, additiſque publica authoritate verſionibus, ex adhibitis præparationibus, ex formulis, ritibuſque non paucis, demonſtraſſe, tam à veteribus, quàm à nouis Sinici Imperij Principibus Regia cuiuslibet anni Sacrificia, non ad Cœlum quoddam materiale, & rationis expers, ſed ad Supremum Cœli, Terræque Dominum, vnicumque referri. Nempe vt diſertè ait Liber Canonicus *li Ki*: *Cœlum non habet duos Soles, nec vna regio duos Reges; nec hæc Sacrificia ſunt ad honorandos duos Supremos.*

Nihil hic addemus de alijs Templis *Ge Tan*, & *Yue Tan* extra Vrbem olim erectis, vtpote quæ non ſint dicata Supremo Domino; ſed vt conſtat ex inſcriptionibus, ipſis Maioris, & Minoris Luminaris Spiritibus Angelis, & quorum Ritus ſit planè diuerſus, longèque inferior, quod habetur ex Mandarini Præſidis Teſtimonio.

Alia

Digitized by Google

Alia ex populi Traditione Diuinæ notitiæ monumenta.

Ad Regiam, publicamque Traditionem accedunt popularis, priuatique cultus monumenta; neque enim Supremi Domini cultus Regiæ Familiæ Sinenſis ita proprius fuit, vt in rude vulgus nulla veri Dei notitia emanauerit. Quo in genere duo imprimis notanda veniunt: alterum ex priuatis ædibus deſumptum; alterum in communi omnium ſermone poſitum. Hæc duo ſigillatim paucis proſequemur.

Viſitur in plurimis plebeis ædibus, immò & Litteratorum non paucis Tabella ſeu lignea, ſeu ex flaua charta confecta, venerationi totius domus propoſita; conſtans his decem characteribus *Tien, Ti, San Kiai, Xe ſam, Van Lim Chin Cay*. Ideſt *Cœli, Terræ; Trium regionum, decem plagarum, omnium entium intellectualium Verus Dominus*. Siue autem Trium regionum nomine intelligas ſupremam, mediam, & infimam regionem; & decem plagas referas ad antiquiſſimum naturæ ſyſtema, ſeu figuram *Ho Tu* Sinicè dictam, ſiue de quacumque alia rerum, & vniuerſitatis diuiſione interpreteris, id tamen ſemper relinquitur, hac inſcriptione Verum rerum omnium Dominum, ac Rectorem exprimi, idque verbis adeo claris, ac efficacibus, vt nullis interpretationum inuolucris poſſit à quoquam obſcurari. In hac autem colenda Tabella triplex eſt diſtinguendum hominum genus. Sunt nec ita multi, qui nullum Idolum, nullamque Statuam apud ſe habent: nulli ſunt addicti Sectæ: nullum Numen colunt; hanc ſolam Tabellam, ſeu potius Supremi Domini nomen decenti in loco collocatum ſuffitu, corporiſque proſtratione certis temporibus venerantur; Sunt, & quidem (ſi ex Prouincia hac, Vrbeque res æſtimanda eſt) incredibili numero plebei ex quacumque ſecta, & profeſſione, qui hanc etiam Tabellam, nullius nimirum ſectæ propriam, non ſolùm domi ſeruant, ſed etiam odoribus, alijſque id genus rebus (quamquam alij alio tempore) colere in more habent. In hoc conueniunt omnes, vt primas Tabellæ deferant, & Idolo anteponant, colantque in loco ab Idolis diuerſo, nempe extra ſuas ædes, quaſi impares excipiendo Supremæ Maieſtatis nomini, ideo affigunt ad poſtes oſtij ſui, aut ſupra ianuam, vt hunc Dominum ſuper omnia ſibi colendum continuò recordentur. Sunt denique, quamquam pauciores, qui præclaræ huic Tabellæ varias propriorum Idolorum figuras ad frontem, & latera appingunt, hancque tam eximiam veri Dei inſcriptionem ad impia figmenta communi omnium Idololatrarum facinore traducunt. Hinc hæc Tabella

ijſdem

ijſdem quidem picta characteribus, at non ijſdem circùm ornamentis initio cuiuſque anni, paſſim toto Imperio venalis eſt, quo faciliùs omnes poſſint ſibi nouam comparare,eamque primâ anni recurrentis die vno animo atque conſenſu venerari. Huius porro diei cultus, quaſi Tabellæ huius ſolemnis eſt; nam præter odores, cæteroſque alio tempore adhiberi ſolitos venerationis Ritus, Supremo omnium Domino cruda oriza, fructus, cæteraque id genus ad victum neceſſaria, ſeu pro agendis de victu quotidiano gratijs, ſeu pro illo poſtulando, ab omnibus offeruntur. Hac certè prima die debere Imperatorem annonam petere à Supremo Domino expreſſis verbis præcipit Liber Rituum Canonicus, cuius textus nec paucos, nec obſcuros, ad memoratam Inſcriptionem facientes,vltrò omittimus, ne de ipſius origine, & propagatione diſſertationem ſcribere videamur. Hoc vnum omnino certum, atque compertum eſt, & hanc Tabellam ingerere perſpicuam Supremi omnium Domini, verique Dei cognitionem, & huius primæ inſtitutionis in Sinicis Annalibus,alijſque monumentis cuiuſuis Sectæ tam domeſticæ,quàm peregrinæ prima incrementa, ortumque referentibus, æram non eſſe conſignatam: quò certiùs conſtet, Diuinæ notitiæ lucem ab omni retro memoria Populum Sinenſem illuſtraſſe, & etiam nunc apud non paucas Familias illibatam, ac ſine vlla Idololatria reperiri.

Altera res in communi omnium ſermone poſita, & Sinicis Diuinæ notitiæ monumentis annumeranda, prouerbijs, vulgaribuſque loquendi formulis continetur. Hæ verò formulæ duplicis ſunt generis; aliæ plebeiorum hominum, aliæ Litteratorum magis propriæ. Has cum illis hoc loco conferemus, vt clariùs appareat, in verbis quidem nonnihil eſſe diſcriminis, in rebus verò, ſenſuque nihil intereſſe; quæ nimirum plebs gens ſincera,& ſimplex verbis multis, obuijſque exprimit, eadem Viri Litterati laconica, & figurata dictione. Atque hiſce metaphoris dum vtuntur Sinæ litteris exculti, & Deum, Imperatorem, Tribunalium Præſides, alioſque id genus benè multos à locis, quibus præſunt, aut inſunt, præ reuerentia denominant, non continuò exiſtimandum eſt, has figuratas voces à plebeis non intelligi, ita vt,ſi cui dicatur V. G. timendam, aut honorandam rectam Aulam, is Aulam Tribunalis materialem, non verò primum Præſidem cogitet. Quod magis etiam verum eſt de Imperatore, ſupremâ Palatij Aulâ deſignato; multòque verius eſt de Supremo Cœli Domino, quòd nempè iſtæ,Palatij,Aulæ, & Cœli metaphoræ ſint vſu frequentiori inolitæ, & quaſi domeſticæ, vti mox ex infra dicendis certò conſtabit.

Populus

Digitized by Google

Populus itaque vtitur plerumque hac formula Sinica : *Lao Tien ye*, ideſt Antiquus, ſeu Cœleſtis Pater, ſeu Cœli Dominus. Nam quos nos Europæi honoris cauſa Dominos vocamus, Sinæ *ye*, & *Lao ye* appellant, & Populus Pekinenſis (cuius verba damus in his prouerbijs) hoc, *lao cu*, vocabulo *Patrem*, vulgò intelligit. Quod verò adhibendum potius ſit adiectiuum nomen Cœleſtis, aut genitiuus caſus Cœli, demonſtrant verſiones Tartaricæ inſcriptionum vocibus item Sinicis indeclinabilibus conſtantium, quas à peritiſſimis vtriuſque linguæ Doctoribus factas ſupra retulimus, & in quibus legere eſt Supremum Cœli Dominum, non verò Cœlum Supremum Dominum; quamquam iſtorum prouerbiorum vis, non tam ſita eſt in his voculis, & grammaticalibus notis, quàm in ſenſu earum rerum, & laudum, quas *antiquo Patri* clarè attribuunt. Atque de hoc iudicium poſſunt ferre ipſi Europæi Sinicè etiam neſcientes; an nimirum hæc tam præclara, & quotidiana elogia cadere poſſint in materiale quid, ac rationis expers; an verò Deum Optim. Maximum indicent.

Litterati vtuntur etiam plerumque hac voce, *Tien*, Cœlum, quod aliquando aliter explicant, vocantque *Xin Tien*, *Spirituale*, ſeu *intellectuale Cœlum*. *Cim Tien* perſpicuum, ſeu *perſpicax Cœlum*; *Cao ve*, *rerum Creator*; *Cao ve Chu*, *Creator*, *& Dominus*; *Chu Cay*, *Dominus*, *Gubernator*, *&c.* quarum omnium vocum ſenſus liquidò conſtabit ex dotibus (vti iam monuimus) Cœlo attributis.

Hæc verò ab vltima antiquitate deriuata eſſe, vt Lectori rem conſideranti ſtatim appareret, cuilibet plebeiorum, & Litteratorum adagio breuem aliquem textum ex Libris Canonicis adiunximus, longioribus textibus, multiſque vltrò, ac ſcienter prætermiſſis, quod illi nihil ad opuſculi huius argumentum faciant, nec ſint clariores Regia declaratione, formaliter aſſerente: Non coli Cœlum viſibile, & materiale, ſed ſpeciatim Cœli, Terræque, ac rerum omnium authorem, ac Dominum. Quibus profectò verbis nihil potuit dici efficaciùs ad verum Deum deſignandum; cum toti Imperio, ac Imperatori imprimis notiſſimum ſit, Deum Optimum Maximum à nobis declarationem expoſcentibus ita appellari. In his textibus, & ſimilibus, inuenies iſtas formulas Sinicas *Ti*, *Dominus*, *Supremus Dominus*. *Hoam*, *Supremus Dominus*, *aut Regum Rex*. *Hao Tien*, *Maximum Cœlum*. *Xam Tien*, *Supremum Cœlum*. *Min Tien*, *Cœlum Miſericors*. *Cao Cao*, *Altiſſimus*. *Tam Tam*, *Immenſus*. *Hao Hao*, *Maximus*. *Mim Mim*, Intelligentiſſimus. *Teu Teu*, Æternus. *Cam Cam*, Antiquiſſimus. *Hoam Hoam*, maximè Supremus. *He He*, Maieſtate Auguſtiſſimus, &c. Aliquem ergo Prouerbiorum

rum

rum numerum, omiſſis alijs quamplurimis, ne longiores ſimus, hic accipe, quibus aſſeritur.

I.	*Surſum exiſtere Dominum.*
Plebs.	*Teu Xam yeu yeo lao Tien ye.*
Verſio.	Supra noſtrum caput eſt vnus antiquus Pater Cœleſtis.
Litterati.	*Teu Xam yeu cim Tien.*
Verſio.	Supra noſtrum caput eſt perſpicax Cœlum.
Lib. Canon. Xi Kim.	*Cao Cao cay Xam.* Verſio. Altiſſimus exiſtit ſurſum.
II.	*Omnia à Cœlo producta.*
Plebs.	*Nay Kien ve pu xi lao Tien ye ſem, Xi gin yum.*
Verſio.	Quæ res non fuit ab antiquo Patre Cœleſti producta, traditaque homini ad ſuſtentationem?
Litterati.	*Tien ſem van ve, y yam gin.*
Verſio.	Cœlum produxit omnia ad alendos homines.
Lib. Canon.	*Van ve puen yu Tien.*
Li Ki dictus.	Omnes res ortum habent à Cœlo.
III.	*Cœlum produxiſſe hominem.*
Plebs.	*Nay co gin pu xi lao Tien ye ſem tie.*
Verſio.	Quis hominum non eſt productus ab antiquo Patre Cœleſti?
Litterati.	*Gin Kiai xi Tien ſo ſem.*
Verſio.	Omnes homines ſunt à Cœlo producti.
Lib. Canon. Xi Kim.	*Tien ſem Chim Min.* Cœlum produxit omnes populos.
IV.	*Imperatorem à Cœlo habere authoritatem.*
Plebs.	*Sie Tien lao ye ſem che co hao van ſuei ngai ngo men tien hia tie pe ſim.*
Verſio.	Grates Patri Cœleſti, qui nobis dedit tunc optimum, & populi amantiſſimum Imperatorem.
Litterati.	*Tien cu ſum Tien mim, Pim che Tien Hia.*
Verſio.	Cœli filius, Imperator, poteſtate à Cœlo tradita gubernat Imperium pacificè.
Lib. Canon. Xu Kim.	*Tien Kiam Hia nem ço chi Kiun, ço chi ſu, vei yuè Ki çu xam Ti, chum chi ſu ſam.*
Verſio.	Cœlum demiſit, qui regeret, & doceret populum, & velut adiuuaret ipſum Supremum Dominum ad beandas quatuor Orbis plagas.
V.	*Cœlum colendum eſſe.*
Plebs.	*Nay co can pu Kim lao Tien ye?*
Verſio.	Quis audet non colere Cœleſtem Patrem?
Litterati.	*Xui can xue pu Kim Tien?*

Verſio.

Verſio. Quis audeat dicere, non colo Cœlum?

Lib. Canon. Xu Kim. *Kim ſu xam Ti*. Verſio. Colendus Supremus Dominus, ipſique ſeruiendum.

VI. *Cœlum prçcipere mutuam obſeruantiam.*

Plebs. *Ki gin, çieu xi Ki lao Tien ye yeyam.*

Verſio. Qui ſpernit hominem, idem eſt, ac ſi ſpernat Cœleſtem Patrem.

Litterati. *Ki gin, cie͂ xi Ki Tien.*

Verſio. Qui ſpernit hominem, Cœlum ſpernit.

Lib. Canon. Su xu. *Ngo xui Ki, Ki Tien hu*. Verſio. Ego quem fallam? decipiam ne Cœlum?

VII. *Cœlum eſſe vbique.*

Plebs. *Lao Tien ye na li pu çay?*

Verſio. Vbinam Cœleſtis Pater non adeſt?

Litterati. *Teu xam yeu çim Tien, v nui yeu çim Tien.*

Verſio. Supra caput foris eſt perſpicax Cœlum: in cubiculo intus eſt quoque perſpicax Cœlum.

Lib. Canon. Xi Kim. *Hao Tien yue mim, Kie lh cho vam; Hao Tien yue tan, ni lh yeu yen.*

Verſio. Maximum Cœlum dicitur intelligens, quocumque prodeas, ſtatim aſſequitur. Maximum Cœlum dicitur colluſtrans, quocumque mente feraris, ſtatim attingit.

VIII. *Cœlum nihil ignorare.*

Plebs. *Gin ngan ti li co tie hoai ſu, lao tien ye tu chi tao.*

Verſio. Quidquid quis clàm praui agit, Cœleſtis Pater id totum nouit.

Litterati. *Kiu nien, Tien chi.*

Verſio. Oritur in corde cogitatio, hanc ipſam Cœlum ſcit.

Lib. Canon. Xu Kim. *Vei Tien çum mim*. Verſio. Solum Cœlum eſt perfectè intelligens.

IX. *Cœlum noſſe cor hominis.*

Plebs. *Gin ſin hao, pu hao, gin pu chi tao; çu yeu lao Tien ye chi tao.*

Verſio. Nemo nouit cor hominis, rectumnè ſit, an prauum. Solus Pater Cœleſtis id totum nouit.

Litterati. *Gin ſin hao, pu hao, çu yeu xam Tien chi tao.*

Verſio. Solum, quod ſurſum eſt, Cœlum nouit, cor hominis, rectumnè ſit, an prauum.

Lib. Canon. Xu Kim. *Vei Kien çai xam Ti chi ſin*. Verſio. Solus Supremus Dominus ſuo in corde nouit, qui amandi, qui reijciendi, ſeu qui boni, qui mali.

X.

Digitized by Google

X. *Cœlum remunerari, & punire.*

Plebs. *Lao Tien ye xam Ta, Lao Tien ye fa Ta.*

Verſio. Cœleſtis Pater hunc præmiat, illum caſtigat.

Litt. *Xen gin, Tien çu gen xam: ngo gin Tien çu gen fa.*

Verſio. Cœlum haud dubiè remuneratur probum, improbum haud dubiè mulctat.

Lib. Can. Xu Xim. *Tien tao fo xen, ho yn.* Verſio. Cœli lex eſt fortunare bonos, malos affligere.

XI. *Cœlum perſpicuè res intueri.*

Plebs. *Lao Tien ye can tie chin chin tie.*

Verſio. Cœleſtis Pater videt verè res, vt ſunt.

Litter. *Xam Tien, tu can tie çhin.*

Verſio. Quod ſurſum eſt Cœlum, res verè videt.

Lib. Can. Xi Kim. *Hoam y Xam Ti lin hia yeu he, Kien Quon ſu fam.* Verſio. Supremus Dominus dimittit ſe cum ſumma claritate inſpecturus quatuor Orbis plagas.

XII. *Cœlum reſpicere homines.*

Plebs. *Teu Tien lao ye can cho ni.*

Verſio. Antiquus Pater Cœleſtis huc reſpicit.

Litter. *Teu Xam Tien can cho.*

Verſio. Surſum eſt Cœlum aſpiciens.

Lib. Canon. Xu Kim. *Vei Tien Kien hia min.* Verſio. Solum Cœlum intuetur ſubiectos populos.

XIII. *Cœlum audire.*

Plebs. *Teu lao Tien ye tim cho ni.*

Verſio. Eſt antiquus Pater Cœleſtis, qui audit.

Litter. *Gin Kien ſu yu, Tien ven ju lui.*

Verſio. Quod ſecreto ſuſſuras verbulum, ſonat apud audiens Cœlum, non ſecùs, ac tonitru.

Lib. Canon. Kia yu. *Xim ven yu Tien, xam Ti kiu hin.* Verſio. Sonus bonorum operum ad Cœlum vſque perlatus, Supremi Domini cor gaudio afficit.

XIV. *Cœlum non poſſe decipi.*

Plebs. *Hum te gin, hum pu te lao Tien ye.*

Verſio. Homo decipi poteſt, decipi non poteſt Pater Cœleſtis.

Litter. *Ki te gin, Ki pu te Tien.*

Verſio. Homo falli poteſt, non verò Cœlum.

Lib. Canon. Xi Xim. *Mim mim çay hia, he he çay xam.* Verſio. Perfectâ intelligentiâ complectens, quæ ſunt infra; auguſtâ gloriâ colluſtrans, quæ ſunt ſupra.

XV.

Digitized by Google

XV. *Cœlum odiſſe malos.*

Plebs. *Lao Tien ye pu jum çim.*
Verſio. Cœleſtis Pater non fert. corruptos homines.
Litter. *Xam can Tien nu.*
Verſio. Quod ſurſum eſt Cœlum, iraſcitur malis.
Lib. Canon. Su Xu. *Ieu çuei yu Tien, vu ſo tao ye.* Verſio. Qui peccauit in Cœlum, non habet, quem inuocet.

XVI. *Cœlum auerſari Superbos.*

Plebs. *Tien lao ye guen ngo tie nao tai leao.*
Verſio. Cœleſtis Pater depreſſit meum ſuperbum caput: humiliauit me.
Litterati. *Tien pu jum ngao.*
Verſio. Cœlum non fert ſuperbum.
Lib. Canon. Ye Kim. *Tien tao v in, lh Hao Kien.* Verſio. Cœlum odit tumidos, & amat humiles.

XVII. *Cœlum æquum eſſe.*

Plebs. *Lao Tien ye cum Tao.*
Verſio. Cœleſtis Pater eſt iuſtus.
Litterati. *Tien chi cum, vu ſu.*
Verſio. Cœlum eſt æquiſſimum; eſtque ſine affectu priuato.
Lib. Canon. Xu Kim. *Hoam Tien vu çin, vei te xi fu.* Verſio. Cœli Supremus Dominos eſt ſine priuato affectu, neque rationem habet niſi virtutis.

XVIII. *Obediendum Cœlo.*

Plebs. *Pim lao Tien ye pa. Rurſus: Pa ngo tie mim Kiao Ki lao Tien ye, pa.*
Verſio. Ad arbitrium Patris Cœleſtis. Rurſus. Vitam meam trado Patri Cœleſti.
Litterati. *Mo ſi Tien Mim. Kiun çu tim Tien.*
Verſio. Nihil accidit à Cœlo non decretum. Sapiens obedit Cœlo.
Lib. Canon. Xu kim. *Hi Tien chi mim.* Verſio. Standum Cœli arbitrio, ſiue mandato.

XIX. *Cœlum ſolari bonos.*

Plebs. *Lao Tien ye pu fu hao ſin gin.*
Verſio. Pater Cœleſtis non permittit bonorum ſpes eſſe inanes.
Litterati. *Hoam Tien pu fu hao ſin gin.*
Verſio. Supremus Cœli Dominus non eludit bonorum ſpes.
Lib. Canon. Xu kim. *Hoam Tien Kiuen yeu.* Verſio. Supremus Cœli Dominus adeſt bonis.

Digitized by Google

XX. *Cœlum miſereri.*

Plebs. *Lao Tien ye, co lien ngo, pa.*

Verſio. Antique Pater Cœleſtis miſerere mei, & ſufficit.

Litterati. *Vam Tien, co lien.*

Verſio. Cœlum miſerebitur, ita ſpero.

Lib. Canon. Su xu. *Hao Ki yu min Tien.* Verſio. Cum gemitu inuocandum miſericors Cœlum.

XXI. *Sperandam à Cœlo veniam.*

Plebs. *Kieu Tien lao ye jao ngo, pa.*

Verſio. Rogo Patrem Cœleſtem, mihi ignoſcat, ſatiſque eſt.

Litterati. *Tien jum gin cai cuj.*

Verſio. Cœlum dat hominibus locum ad reſipiſcendum.

Lib. Canon. Xu kim. *T ngai yo Tien.* Verſio. Cum gemitu confiteri Cœlo.

XXII. *Cœlum timendum.*

Plebs. *Ni pu pa lao Tien ye, ma?*

Verſio. Patrem Cœleſtem non times?

Litterati. *Xam Tien. co vei.*

Verſio. Timendum Cœlum, quod ſurſum eſt.

Lib. Canon. X u kim. *Vei Tien chi vei.* Verſio. Verenda eſt Cœli Maieſtas.

XXIII. *Cœli conſilia ſuprahumanum captum poſita.*

Plebs. *Gin pu nem keu chi tao lao Tien ye tie ſu.*

Verſio. Nemo poteſt ſcire Patris Cœleſtis conſilia.

Litterati. *Tien tao xin vi, nan chi.*

Verſio. Cœli conſilia ſunt valde profunda, & captu difficilia.

Lib. Canon. Xi kim. *Xam Tien chi çai, vu xim, vu hieu.* Verſio. Supremi Cœli conſilia non habent ſonum, neque odorem, quibus nimirum percipi poſſint.

XXIV. *Cœlum ſuos ducere calculos.*

Plebs. *Gin tie çien ſuon ki, van ſuon ki, tam pu te lao Tien ye y co ſuon ki.*

Verſio. Hominis mille, & mille computandi artes nihil poſſunt aduerſus vnum Patris Cœleſtis computum.

Litterati. *Tien çu yeu chim, chu, kia, kien.*

Verſio. Cœlum habet ſuas Multiplicationis, Diuiſionis, Additionis, & Subtractionis regulas.

Lib. Canon. Kia yu. *Hoam Hoam xam Ti, Ki mim pu te.* Verſio. Supremus Dominus eſt maximè abſolutus: eius mandata fruſtra eſſe non poſſunt.

Digitized by Google

XXV.	*Rerum euentus pendere à Cœlo.*
Plebs.	*Su chim, pu chim: çai lao Tien ye.*
Verſio.	Quod res aliqua exitum ſortiatur, nec nè; pendet id à Patre Cœleſti.
Litterati.	*Meu ſu çai gin, chim ſu çai Tien.*
Verſio.	Negotium ſuſcipere hominis eſt, perficere eſt Cœli.
Lib. Canon. Su xu.	*Mo chi guei, lh goei chi, Tien ye.* Verſio. Rerum, quarum ignoramus authorem, Cœlum ipſum eſt author.
XXVI.	*Cœlum vitæ, & mortis arbitrum, Dominumque vnicum.*
Plebs.	*Gin hai ngo, hai pu ſu: lao Tien ye Kiao gin ſu, çai ſu.*
Verſio.	Quòd aliquis velit nocere, non ſtatim morior; ſi verò Pater Cœleſtis vult me mori: Actum eſt; morior.
Litterati.	*Tien Kiao ngo ſem, gin pu nem hai; Tien Kiao ngo ſu, gin pu nem Kieu.*
Verſio.	Mihi, Cœlo ita volente, viuenti, nemo nocere poteſt; Me contra à Cœlo damnatum, quis poteſt liberare.
Lib. Canon. Su xu.	*Tien chi vi ſam sù ven ye, Quam gin Ki ju yungo.* Verſio. Si Cœlum non me damnauit morte. Aduerſarij è Regno *Quam*, quid poterunt aduerſum me?
XXVII.	*Cœlum eſſe paupertatis, & diuitiarum diſpenſatorem.*
Plebs.	*Lao Tien ye Kiao ngo hao, çieu hao, Kiao ngo pu hao, çieu pu hao.*
Verſio.	Patre Cœleſti iubente, vt bene mihi ſit, bene mihi erit. Sin minus? malè.
Litterati.	*Gin ſem jum, su; Kiai yeu Tien Tim.*
Verſio.	Quòd alij beati, alij miſeri: à Cœlo id totum eſt.
Lib. Canon. Su xu.	*Fu quei, çai Tien.* Verſio. Opes, & honores pendent à Cœlo.
XXVIII.	*Cœlum teſtem inuocare.*
Plebs.	*Kieu lao Tien ye can ngo tie ſin, pa:*
Verſio.	Velit Pater Cœleſtis inſpicere meum cor; idque mihi ſufficit.
Litterati.	*Cu ſin vu quei yu Tien.*
Verſio.	Non eſt quod erubeſcam aſpiciente Cœlo meum cor.

Digitized by Google

Lib. Canon. Su xu. *Tien yen chi*, *Tien yen chi*. Verſio. Cœlum me oderit, Cœlum oderit me; ſi res non ita ſe habet.

Atque ex multis hæc pauca ſufficiant. Habet Lector in hoc opuſculo tria maximi momenti, ad diuturnam illam Facti quæſtionem, de Sapientum Sinarum ſenſu, circa Cœli, Confucij, Auorumque cultum, ſpectantia.

Primo loco eſt declaratio Imperatoris, eaque tam ex verbis, quàm ex circumſtantijs clariſſima, tutiſſimaque. Adde quòd nuntijs publicis fuit vulgata: Regij Palatij libris inſcripta: Primis Imperij Miniſtris, ac Præſidibus expoſita; proindeque fidem habet omni exceptione maiorem. Ex hac certè intelliget inter alia Lector tanti Principis de Religione Chriſtiana tam bene meriti famam, ſparſa per totam Europam eius velut Athei diffamatione, immeritò fuiſſe laceratam. Quod dictum tot coniecturis, arteque conquiſitis argumentis ſtabilitum, ſi non potuiſſet reipſa funditus euerti, falſumque demonſtrari, maximam communi ſententiæ labem intuliſſet, ob eximiam Principis eruditionis famam, & ſummam eiuſdem in huiuſmodi rebus diiudicandis authoritatem. Quin & tanta eſt apud Sinas, & Tartaros, ſeu veneratio, ſeu adulatio, vt quodcumque Regium mandatum (*Chi y* vocant) pro oraculo habeant. Vnde in exquirendis Primatum Teſtimonijs, non vltra certum numerum, qui ſufficere viſus eſt, progreſſi ſumus; ne Regio mandato robur aliunde accerſiri percrebeſceret.

Secundo loco appoſuimus multa, præclaraque ad maiorem apud Europæos firmitatem, ac Regiæ ſententiæ illuſtrationem, Teſtimonia, petita non iam ex Claſſicorum Librorum textibus, qui in editis Apologijs olim multi, clarique pro communi opinione prolati ſunt, neque ex Chriſtianorum Sinarum numero, dignitate, ac eruditione, quibus Chriſtiani nobiſcum ſentientes alios longiſſimo interuallo vicerunt; Sed ex ipſis Ethnicis, qui adhuc viuunt, quì per omnes Litteratorum gradus ad ſupremos dignitatum apices aſcenderunt, quiuè ſublimi loco poſiti, per multas vias adiri, conſulique poſſunt. Hinc profectò apparet, falsò aſſertum, & pro Principio aſſumptum: hanc impiorum Sinarum expoſitionem, veteres de Cœlo Materiali interpretantium, non poſſe deſeri: Cùm ipſi Imperij Magiſtri hanc à ſe non deſeri solùm, ſed à veteribus abhorrere teſtentur. In hac de Cœlo colendo materia affirmare certè poſſumus, nullum nos interrogaſſe (interrogauimus autem quamplurimos, minoris licèt dignitatis Doctores) qui cum relatis Primatibus non ſentiat, Cœlique Materialis explicationem adulterinis notis non annumeret.

Tertio loco adſunt non pauca ex Regiâ, & Populari Traditione Diuinæ notitiæ monumenta in ipſis ſuperſtitionum tenebris etiam nunc emicantia; quibus ſimul collectis omnino efficitur; falsò affirmari, quòd hoc tam præclarum Imperium, tam antiquum, tamque bonis fundatum legibus, ab ipſis Atheiſmi conditoribus ſit profectum; nec Europæ Atheos hoc Sinici Imperij exemplum afferre poſſe contra Theologos paſſim demonſtrantes, ab Atheiſmo mala, Turbas, reique publicæ perniciem neceſſariò exiſtere. Denique ex hoc triplici Teſtimoniorum genere illud etiam liquidò apparet: quos primos, ſoloſque multis annis Diuina Prouidentia dedit Eccleſiæ Sinenſi Fundatores, & Patres, eos ab abſurdis circa has facti quæſtiones, erroribuſque præſeruaſſe, dediſſeque illis optimè intelligere Librorum Claſſicorum ſenſum; prorſus vt illorum tanti, totque de quocumque argumento Commentarij, ſoli in Regia Bibliotheca appareant; ſoli à Principibus, primiſque Imperij Magiſtris legantur, & (quod prodigio ſimile eſt in tanta gentis ſuperbia, tantoque Exterorum odio) in Imperij Mathematico Tribunali ſexaginta volumina, ab Europæis illis de rebus difficillimis ſcripta, eaque ſola à Sinis, ac Tartaris Doctoribus terantur. Illos proinde dum mirum in modum ſuſpiciunt Chriſtiani Litterati, authores ſuæ opinionis habent præcipuos Sectæ litterariæ Doctores. Quòd ſi apud hos ſermonis, & ſtyli elegantiâ nomen aliquod etiã ſibi fecerint illi, qui eos ſpernunt, meritò ex hac Sinarum Doctorum commendatione, cęteriſq; effectibus, non verò ex amicorum Europœorum Elogijs, digni iudicabuntur, qui cum primis illis Deceſſoribus, toto Imperio celebratiſſimis, de Sinica eruditione decertent. Notum interea ſit, hanc Imperatoris inſcriptionem *Kim Tien*, non de Cœlo Materiali explicandam; ſolitos erga Confucium, & Maiores ritus gratitudinis causâ politicè adhiberi. In quibus ſtabiliendis ideo ſolùm tot Viri, & Virtute, & Doctrinâ conſpicui deſudarunt, quòd apud quemuis rerum Sinicarum peritum certum ſit, contrarias ſententias innumeris Sinis, ac imprimis Litteratis, viam ſalutis occludere, & ab illis certiſſimo Miſſionis perdendæ periculo omnes Miſſionarios exponi.

Et cùm nobis innotuerit, à nonnullis non contemni modò, ſed & alios pariter ad eiuſdem periculi contemptum exciri per datas in Europam litteras, Quotquot ex varijs Nationibus congregati hìc pro Chriſto laboramus, & Curiæ Leges, animorumque diſpoſitiones in ijs, per quos Imperium vniuerſum hinc regitur ob oculos continenter habemus, Omnes hoc publico ſcripto conſcientias noſtras exonerantes, Proteſtamur, Sinenſem Eccleſiam, ſublatis Confucij, Auorumque Ritibus, iuxta præfatæ

noſtræ

Digitized by Google

noſtræ declarationis tenorem hactenus permiſſis, diu ſtare nequaquam poſſe. Quin adeò (vt per hoc temporis ſe res habent) ad primam quamque maleuoli cuiuſuis accuſationem his ſuper Ritibus, eiuſdem Eccleſiæ ruinam certò certiùs accelerandam à nobis iudicari. Qua quidem proteſtatione claudendam Relationem hanc exiſtimauimus, ne Societati olim vitio vertatur, de prædicto imminenti diſcrimine, eoque grauiſſimo, id quod erat, maturè à nobis delatum non fuiſſe. Cui Proteſtationi ſubſcribimus. Pekini 29. Iulij anni 1701.

Antonius Thomas Vice-Prouincialis Sinenſis.
Philippus Grimaldi Rector Pekinenſis.
Thomas Pereyra.
Ioannes Franciſcus Gerbillon.
Ioſephus Suares.
Ioachimus Bouvet.
Kilianus Stumpf.
Io: Baptiſta Regis.
Ludouicus Pernoti.
Dominicus Parrenin.

Omnes è Societate IESV Sacerdotes.

Locus ✠ Sigilli.

Hæc dicta, & citata, ſunt iuxta originale in China impreſſum, quod Suæ Sanctitati oblatum eſt.

Ego infraſcriptus Vice-Prouincialis Societatis IESV Vice-Prouinciæ Sinenſis teſtor, me accepiſſe teſtimonium Fratris natu minoris Imperatoris Tartaro-Sinici ſupra relatum folio 21., in cuius fidem manu propria ſubſcribo.
Pekini 30. Septembris 1701.

Antonius Thomas.

Nos infraſcripti Sacerdotes Societatis IESV teſtamur, nos accepiſſe duo teſtimonia duorum Magnatum *So San Lao ye*, & *Mim Lao ye*, necnon *Iſāngha* Imperij primi Miniſtri à folio 22. ad 28. ſupra relata, in quorum fidem ſubſcribimus.
Pekini die 30. Septembris anni 1701.

Ioannes Franciſcus Gerbillon
Superior Patrum Gallorum.
Ioachimus Bouvet.

Ego infraſcriptus Societatis IESV Collegij Pekinenſis Rector teſtor, me accepiſſe teſtimonia quatuor, quæ fol. 29., 30., 31., & 32. continentur, in quorum fidem hìc ſubſcribo die 30. Septembris 1701.

Philippus Grimaldi.

Ego

Ego infraſcriptus Sacerdos Societatis IESV teſtor, me accepiſſe duo inter decem vltima teſtimonia ſupra relata à folio 32. vſque ad 33., in quorum fidem ſubſcribo.

Pekini die 30. Septembris anni 1701.

Ioachimus Bouvet.

Ego infraſcriptus Vice-Prouincialis Societatis I E S V Vice-Prouinciæ Sinenſis teſtor, exemplar hoc breuis relationis &c. habens folia impreſſa 61. eſſe legitimum, vti & ſubſcriptiones hìc poſitas; in quorum fidem libellum in prima pagina, & vltima proprio officij ſigillo muniui, atque hìc ſubſcribo.

Pekini 26. Octobris 1701.

Antonius Thomas.

Loco ✠ Sigilli.



Digitized by Google

Digitized by Google